This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6000276075

210 j :62

SUPPLEMENTA ANNOTATIONIS

AD

ELOGIUM TIB. HEMSTERHUSII

ET AD

VITAM DAV. RUHNKENII

AC

DAN. WYTTENBACHII.

SUPPLEMENTA ANNOTATIONIS

AD

ELOGIUM TIBERII HEMSTERHUSII,

AUCTORE DAV. RUHNKENIO,

ET AD

VITAM DAVIDIS RUHNKENII,

AUCTORE DAN. WYTTENBACHIO,

CUM

AUCTARIO AD RUHNKENII OPUSCULA ET EPISTOLAS.

ACCEDUNT NONNULLA AD

VITAM DANIELIS WYTTENBACHII,

AUCTORE GUIL. LEON. MAHNIO.

COLLEGIT ET EDIDIT

JO. THEOD. BERGMAN.

LUGDUNI BATAVORUM,
TYPIS E. J. BRILL.
1874.

210. j. 362.

BENEVOLO LECTORI EDITOR.

Ex quo ante hos quinquaginta annos, post recusa anno superiore Ruhnkenii Opuscula varii argumenti, novam Elogii Hemsterhusiani, *a Ruhnkenio conscripti, una cum* Vita Ruhnkenii, *auctore Wyttenbachio, addita mea qualicunque annotatione, uno eodemque volumine comprehensi, editionem curarunt Luchtmansii, bibliopolae Lugduno-Batavi primarii, fieri aliter non potuit quin per tam longum temporis intervallum multa sese mihi offerrent, quae sive corrigendis et emendandis, sive augendis et amplificandis antea scriptis ex re fore viderentur. Quae ne in fumum, quod ajunt, et cineres abirent, si forte mihi, propediem octogesimum vitae annum ingressuro, quid accidisset, ea quantocyus elaboranda et cum bonarum literarum studiosis communicanda censui. Quemadmodum igitur ad Epistolas Ruhnkenii et Wyttenbachii, dudum ante a se editas, paucis ante obitum annis, Supplementa prodi-*

dit Mahnius; similiter mihi visum est, quae annotationi meae augendae et locupletandae identidem collegeram, ea Supplementorum nomine singulari libello complecti. Cui quod nonnulla adjecerim, ad Vitam Wyttenbachii a Mahnio conscriptam pertinentia, factum est partim ob argumenti similitudinem et cognationem, partim ne et haec, jamdudum sublato e vivis auctore, tandem penitus in oblivionem abirent.

Quae Supplementis ad Vitam Ruhnkenii subjectae leguntur, nondum antea editae Ruhnkenii et Valckenarii Epistolae mutuae, et alia quaedam ad locupletanda illius Opuscula, non nisi grata accidere poterunt iis, qui utriusque viri memoriam colunt. Pluribus etiam locis, ubi commodum videbatur, anecdota varii generis in lucem prolata sunt.

A Latinitatis censura, cui jampridem ansam dederat Lindemanni importunitas, paucissimis locis exceptis, ubi vix evitari poterat, nunc prorsus abstinui. Haud inutilem, tironibus praesertim, hac in re operam navavit Frotscherus in additamentis annotationis ad Vitae Ruhnkenii a se curatam editionem, de qua suo loco diximus. Equidem satis habui ea attingere, quibus historiae literariae ac librorum novorum notitia augeri poterat.

Haec paucis praefanda videbantur. Superest ut gratias agam Viris doctissimis et amicissimis, Wilhelmo Henrico Dominico Suringar, *Gymnasii Leidensis Rectori, pro auxilio in speciminibus typographicis corrigendis praestito, et* Wilhelmo Nicolao du Rieu, *cui in Bibliotheca publica Academiae Lugduno-Batavae librorum*

manuscriptorum cura demandata est, pro subsidiis liberaliter suppeditatis.

Atque ita, quanquam ingravescente corporis et oculorum infirmitate, operi, quod adhuc bonarum literarum cultoribus me debere arbitrabar, juvante Deo O. M. finem imponere licuit ante discessum meum ad eum locum, in quem ut est facilis descensus, *ita* revocare gradum superasque evadere ad auras *mortalium nemini concessum.*

Scripsi Lugduni Batavorum d. XXXI *Martii* 1874.

CONSPECTUS ARGUMENTORUM.

	Pag.
Supplementa Annotationis ad Elogium Hemsterhusii	1.
Supplementa Annotationis ad Vitam Ruhnkenii.	13.
Auctarium Opusculorum et Epistolarum Ruhnkenii.	67.
Supplementa Annotationis ad Vitam Wyttenbachii.	91.
Epilogus.	115.
Index Nominum et Rerum	119.

SUPPLEMENTA ANNOTATIONIS

AD ELOGIUM HEMSTERHUSII.



De *Elogio Tiberii Hemsterhusii*, quod Ruhnkenius anno 1768 primum edidit ac denuo retractavit a. 1789, post ea quae dicta sunt in Praefatione ad Ruhnkenii Opuscula varii argumenti, apud Luchtmansios a. 1823 conjunctim edita, p. XXIII—XXVI, et ad eam in repetita editione Brunsvicensi a. 1828 a Friedemanno annotata p. XXXVII, non est quod multa dicantur. Vernaculam ejus ex priore editione interpretationem confecit P. van den Bosch, cum praefatione probabiliter scripta [1]). Honorifice de eo retulit C. A. Klotzius in Actis Liter. a. 1768, Vol. V. P. IV. p. 426—433. Posteriorem editionem, post alios, repetendam curavit inter *Eloquentium Virorum Narrationes de vitis hominum doctrina et virtute excellentium* Car. Henr. Frotscher, Vol. I. (Lips. 1826) p. 205 sqq. addita brevi annotatione haudquaquam spernenda; qui liber Friedemannum, anno 1827 scribentem, adhuc latuisse videtur. Germanice illud non tam ad verbum convertit, quam potius suo ipse instituto accommodavit, aliis hic illic interjectis, aliis praetermissis, Frid. Theod. Rink in libro inscripto: *Tiberius Hemsterhuys und David Ruhnken; biographischer Abriss ihres Lebens; für Freunde der Humanität und des*

---

[1]) D. Ruhnkenius *Lofrede over* Tib. Hemsterhuis, *uit het Latijn vertaald. Leyden, H. Mostert*, 1769. 8⁰.

Studiums der Alten insbesondre. Königsberg, 1801. quem librum dolemus non nisi dudum post conscriptam annotationem nostram nobis innotuisse.

Forma perfecti Critici, quam in Tib. Hemsterhusio spectandam exhibuit Ruhnkenius, sitne ex auctoris ingenio adumbrata, an vero ex magistri disciplina ducta, disquisivit Luc. Müllerus in Historia Philologiae classicae Batavae seculo superiore, Germanice scripta [1]), ipse ad priorem sententiam propensior.

Ad ipsum autem Hemsterhusium quod attinet ejusque vitam et res privatas, praeter pauca illa, quae a Ruhnkenio, quoad laudationis indoles requirere videbatur, tradita sunt, operae pretium est conferre duo opuscula diu postea patrio sermone conscripta a rei literariae aeque amantissimo ac peritissimo, Academiae quondam ac postea Athenaei Franequerani Professore meritissimo J. W. de Crane, alterum: *Bijzonderheden, de familie Hemsterhuis betreffende; Leyden* 1827, ubi de Tiberio legendae sunt pag. 33—88; alterum: *Letter- en geschiedkundige verzameling van eenige biographische bijdragen en berigten; Leeuwarden* 1841. in quo de Gente Hemsterhusia agitur p. 47—60.

Hemsterhusii breve elogium, paulo post viri obitum, prodidit Klotzius, Act. Lit. Vol. III. P. II. p. 228—230. Manibus Hem-

---

[1]) *Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden*, Leipz. 1869. S. 81, 82. »Man kann zweifeln, ob das Bild des vollendeten Kritikers, welches uns sein Elogium zeigt, ein Ideal ist, zu dem der liebevolle Schüler die Person des Meisters verklärt, oder ob es nur die Gedanken reproducirt, welche Hemsterhuis, da er sie schriftlich niederzulegen verschmähte, im vertrauten Umgang seinen Anhängern einprägte. Ich bin mehr geneigt das erste anzunehmen, zu glauben, dass der kritischen Methode Lehren, die jenes goldene Büchlein bietet, von Hemsterhuis nicht sowohl ausgesprochen als angeregt und vorbereitet sind. Aber auch so gereicht es ihm zum grössten Ruhme, dass er in einem solchen Schüler das kritische Ingenium geweckt hat, das vorher bei diesem, wie die Abhandlung *de Galla Placidia* zeigt, noch im tiefen Dunkel begraben war."

Valckenario quoque consilium fuisse laudandi Hemsterhusii, nisi publice, certe privatim coram auditoribus, ostendunt *Collectanea*, quae reliquit, *ad Elogium Hemsterhusii*, una cum reliquis viri autographis asservata in Bibliotheca Lugduno-Batava.

sterhusii carmina sacrarunt Everw. Wassenbergh, Jo. Ruardi, L. H. et J. U. Stud. et A. J. Conradi, J. U. Stud. Wassenberghii Elegiam subjecit Cranius libro primum memorato p. 130—132. Vitam Hemsterhusii Germanice conscripsit F. G. Handius in Erschii et Gruberi Encyclopaedia Literarum et Artium Halensi, Sect. II. Vol. V. p. 290—292. Hemsterhusium, Valckenarium et Ruhnkenium triumviratum in literis constituere, cui vix alius quisquam par haberi queat, vere judicavit Luc. Müller, libri modo laudati p. 89.

Edita ab Hemsterhusio opera, *Pollucem* a. 1706, *Luciani* Colloquia selecta a. 1708, *Lucianum* a. 1743, *Aristophanis* Plutum a. 1744, cetera, post Vriemoetium (Athen. Fris. p. 783), Saxium (Onom. Lit. P. VI. p. 100 sq.) alios, summatim recensuit Rinkius ad finem elogii p. 71 sq., diligentius indicavit Frotscherus in opere modo laudato p. 270. *Orationes*, publice ab eo habitas, quarum nonnullae tantum ipso vivente typis excusae fuerant, post Valckenarium, qui earum sex, una cum tribus de suis, conjunctim edidit Lugduni Batav. a. 1784, separatim repetiit Frid. Traug. Friedemann, Wittebergae 1822; iterumque, additis *Epistolis* nondum antea editis ad Lederlinum, ac paucis aliis antea editis, cum aliorum suisque annotationibus, praemissa Epistola ad Jac. Geelium, subjectaque appendicis loco Hemsterhusii Oratione panegyrica ad Celsiss. Principem Arausii et Nassaviae, Guilielmum Carolum Henricum Frisonem (separatim excusa Lugd. Bat. a. 1747, forma max.), Weilburgi 1839. Utrique editioni praemittitur viri Elogium a Ruhnkenio scriptum. Epistolas illas ad Lederlinum cet. jam antea sese publici juris facturum pollicitus erat G. H. Moser in Additamentis ad Ciceronis Tusculanarum disputationum editionem suam, T. III. p. 497, allatis paucis ex Hemsterhusii epistola de Tusculanarum editione Davisiana prima.

Missis aliis, quae Hemsterhusio adjuvante ac de suo nonnulla suppeditante edita sunt, aut in quibus Hemsterhusianae industriae vestigia apparent, veluti Alberti Hesychius, Ruhnkenii Timaeus, Bernardi Thomas Magister, Valckenarii Euripidea ac

Theocritea, cet. de quibus in Annot. passim diximus p. 330, 333, 501, 503, al. Hemsterhusii animadversiones nonnullas, secum a Valckenario communicatas, protulit P. H. Koppiers in Observationibus philolog. Lugd. Bat. 1771. Ejusdem, quondam praeceptoris sui, conjecturas aliquot, a Valckenario et Ruhnkenio ad se missas, significat H. Verheyk ad finem Praefat. in Antoninum Liberalem, a se editum a. 1774. — Animadversiones in Aristophanis Plutum, ex schedis mss. a Dobraeo editas; — in Hesiodum, apud Gaisford. Poët. Graec. min. T. I. p. 159—169; — in Athenaeum propediem cum eruditis communicandas, indicavit Frotscherus l. l.

Anecdota Hemsterhusiana ex schedis mss. in Bibliotheca Lugduno-Batava servatis, collegit, disposuit et edidit Jac. Geel, Lugd.-Batav. 1825. quibus, praeter *Lucianea*, quae usque ad p. 163 majorem libri partem efficiunt, continentur animadversiones in *Pollucem*, p. 164 sqq. in *Harpocrationem*, p. 221 sqq. ad *Juliani Caesares*, p. 269 sqq. et in *Apollonii Rhodii* libros tres priores, p. 287 sqq. Dolendum vero, non item alteram partem indicibus instruendam prodiisse. Hemsterhusii notas et emendationes in *Jamblichi* Protrepticon, de quo edendo eum aliquando cogitavisse diximus in Annot. p. 333, a Geelio descriptas aliquot annis post edidit Creuzerus in Zimmermanni *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1840, Parte 1, N°. 1—5, p. 6—44. Cf. Geelii Praef. ad Anecd. p. VII sq.

Additamenta inedita ad Henr. Stephani Thesaurum Linguae Graecae, ex autogr. (Indici adscripto) descripsit J. T. Bergmanus, Oxonii edita a. 1831. appendicis instar ad Jo. Scapulae Lexicon Gr. Lat. ibidem excusum a. 1820. Plura alia Thesauri exemplo adscripta in usum suum converterunt novissimi Editores Thesauri illius Parisiis apud fratres Firmin Didot, 1831—1865 [1].

---

[1]) Vid. Vol. I. Praef. p. III: »M. Geel, conservateur de la bibliothèque de l'Académie de Leyde, etc., nous a rendu un service signalé en nous faisant obtenir de la bibliothèque de Leyde l'exemplaire du Trésor de Henri Etienne couvert de plus de 15,000 articles de *Tiber. Hemsterhuys*, qui presque tous sont inédits et qui à eux seuls donneront à notre édition un incomparable mérite."

Tib. Hemsterhusii lectionem publicam *de originibus Linguae Graecae* edidit literatissimus quondam Teleiobaptistarum apud Daventrienses ecclesiastes J. H. Halbertsma in Analectis literariis (*Letterkundige Naoogst*, 2e stuk, Devent. 1845, p. 324—370), subjectis annotationibus ad intelligendam Hemsterhusianae Analogiae et rei etymologicae universae rationem comparatis.

Ad inedita quod attinet, neque editioni destinata, quippe aut in auditorum, aut in privatum usum comparata, in Catalogo Librorum manuscriptorum, qui inde ab anno 1741 Bibliothecae Lugduno-Batavae accesserunt, a Jacobo Geel edito, Lugd. Batav. a. 1852, commemorantur Scholae de *Antiquitatibus* non tantum *Graecis* verum etiam *Romanis*, N°. 136 et 146; Scholae de *Callimacho*, N°. 247, de *Eryxia* Platonico, N°. 292, de *Theocrito*, N°. 307; Dictata de *Pauli* Epist. ad Hebraeos, N°. 610; denique de Historia Patriae, N°. 681 et sq. Porro Collectanea de *Homeri* Odyssea, cet. N°. 262; Commentarii in fragmentum *Phintyos* doricum, in *Musaeum*, et *Athenagoram*, N°. 283; Observationes de *Propertio* et *Apollonio Rhodio*, N°. 567; Notae juveniles quidem sed doctae in *Silium Italicum*, N°. 576. Adversaria philosophica et physica, de Historia Naturali, ac de pretiosis lapidibus et tincturis, N°. 767, 773, 774. Adversaria ex omni genere veteris doctrinae, N°. 911 sq. de Historia literaria Graecorum, mythologica, geographica, N°. 938, 939, 940. Collectanea *de nonnullis proprietatibus Graeci sermonis*, Index dictionum *Juris Attici*, Schediasma *de Verborum formis doricis*, *laconicis*, *boeoticis*, cet. N°. 916, 917 et 918. Alia passim, quae ibidem videri possunt, N°. 101, 240, 253, 264, 265, 274, 276, 311, 606, 915, 937, 955, e quibus tamen nonnulla in usum adhibita fuere.

P. 15. *Talis tam felicis Critices illustre documentum dedit in Xenophonte Ephesio. cet.*] De Hemsterhusii in hoc scriptore restituendo solertia diximus in Annot. p. 308. Exemplar Xenophontis Ephesii Londin. 1726, cum uberrimis ipsius observatio-

nibus margini adscriptis, unde fluxerunt quae in Miscellanei prodita sunt, servatur in Biblioth. Lugd. Bat. vid. Geelii Catal. Mstorum, N°. 311. Similem F. A. Wolfii felicitatem in Herodiani restituendo ad h. l. notavit Rinkius p. 13 sq.

P. 18 not. *Natus est Groningae* 1 *Febr.* 1685.] Diem Hemsterhusii natalem non fuisse 1 *Febr.*, ostendimus in Annot. p. 309 et 500. Diem 9 Januarii, quem ibi indicavimus, ex Diario Eruditorum (*Journal des Scavans*, *Avril* 1766) enotavit etiam Valckenarius in Collectaneis mss. Propius ad verum accedere videtur Cranius, operis laud. p. 33 sq. baptismi diem statuens 8 *Januarii*. Quid igitur si natus fuerit 1 *Jan.* ut error unice versetur in mense indicando? — Philosophiae et Matheseos in Athenaeo Amstelodamensi professionem delatam ei fuisse *d.* 20 *Decembr.* 1704, ostendit Cranius, l. c. p. 63. Ad Tib. Hemstersium in Leidensi Academia Professorem designatum exstat Carmen Graecum Gerardi Jac. van Swinden. (Poëm., coll. Ph. v. Swinden, Ph. f. Lugd. Bat. 1763, p. 34 sqq.)

P. 19. *Praestantissimos quosque bonarum artium magistros audiebat.*] Vid. Cranius, libri laud. p. 34, 36 sq. Quod Annot. p. 310 de Schultensio suspicati eramus, minus recte se habere, ostendit idem p. 52.

P. 21. *Leidam venit*, *cet.*] Albo Academico inscriptus a. 1702, d. 21 Septembris, nondum expleto XVIII aetatis anno. Vid. Cranius p. 48 sqq. qui et Codicum Leidensium in ordinem redigendorum curam ei demandatam, et Pollucis edendi sive potius inchoati operis ad finem perducendi provinciam, Graevio impulsore, ab eo susceptam fuisse ante hujus anni exitum ostendit, siquidem Graevius obiit ineunte anno sequenti.

Ibid. *Artibus eorum, qui, ne luminibus suis obstrueretur, metuebant.*] Annotationi nostrae p. 315 adhibeatur Cranius p. 78 sq. et L. Müllerus l. l. p. 74.

P. 22. *Talis stultitia — cadere — in Hemsterhusium non poterat*, *cet.*] Tantum abfuit ut humaniores literas abjecerit Hemsterhusius, ut contra de iis scholas habuerit. Amstelodami eum »una cum philosophia Literas ornasse" praeter D'Orvillium, cu-

jus verba attulimus Annot. p. 500, auctor etiam est Valckenarius in Collectaneis de Hemsterhusio, ubi scripsit: »Matheseos et Philosophiae Professor cognoscere Graecae Linguae divitias cupientibus Atticas elegantias tradere non gravabatur, habuitque in urbe populosa discipulos minime vulgares." Cf. Cranius, operis laud. p. 68 et 139, et J. D. Lennepii annot. ad D'Orvillii Orat. in Athenaei Amstelod. Memorab. p. 125.

P. 22. *Ac reperit Amstelodami, quorum consuetudine elegantiorum literarum studium non mediocriter aleret. cet.*] Cf. Cranius p. 66. sq. deque Broukhusio L. Müller p. 48 sq.

P. 24. *Commentatione*] i. e. commentario, sive annotatione in Pollucem. Minus recte cepisse videtur Rinkius p. 22, reddens *Abhandlung.*

Ibid. *Brevi post a Richardo Bentlejo — literas accipit, cet.*] Duae illae Bentleji ad Hemsterhusium de Comicorum in Polluce fragmentis datae epistolae, alteri Elogii editioni a Ruhnkenio subjectae, indeque in Vitis Duumvirorum et nostra editione repetitae, quarumque autographa exstant in Bibliotheca publica Lugduno-Batava, secundum Geelii Catalogum N°. 955, ineunte hoc seculo in Anglia editae fuerant a Carolo Burnejo in R. Bentleji et doctorum Virorum Epistolis mutuis, postea ex editione Londinensi in Germania recusis cura Fr. Tr. Friedemanni, Lipsiae 1825, ubi leguntur p. 250—289. Uberioris in Pollucem commentarii, quem sibi elaborandum proposuerat Hemsterhusius, et cujus mentionem fecimus in Annot. p. 351, fragmentum commemoratur in Geelii Catal. N°. 300.

Quam in Hemsterhusii ad Bentlejum datae epistolae parte de Manilio edendo, Annot. p. 346, scripsimus desiderari Hemsterhusii emendationem quandam ad vs. 20 sq. prodidit eam Koppiersius Observatt. philolog. p. 134.

P. 27. *Hunc enim mirabatur unum, cet.*] Bentlejum, quem, ut in Collectaneis mss. de Hemsterhusio annotavit Valckenarius, »ille sic venerabatur, ut in Angliam iter fuerit meditatus *unius* praesertim *Bentleji visendi* motus desiderio."

P. 32. *Hemsterhusii exemplo Literarum studium cum Ma-*

thesi et philosophia conjungant.] De Hemsterhusii Oratione *de Mathematum et Philosophiae studio cum Literis Humanioribus conjungendo* quae annotavimus p. 317 sq. corrigenda sunt ex iis quae monuit Cranius p. 63 et 76. Habuit eam Franequerae, Magistratu academico decedens a. 1739. Ibid. vs. 17. pro *Praefatio* legatur *Programma*, ut infra p. 506. Cf. Cranius l. c. p. 74, 75, 126.

P. 38 sq. *Cujus rei facultatem ipsi dabat soceri, Jacobi Wildii, museum, cet.*] Praeter ea quae ad h. l. annotavimus p. 321, de Jac. Wildio, ejusque museo, eruditae antiquitatis supellectili instructo, simulque de ejus uxore ac liberis et rebus domesticis, operae pretium est consulere quae singulari loco collegit Cranius in libro laud. p. 54—62. vid. etiam p. 67, et ann. 33. p. 119.

P. 39. *Ac saepe mirabatur, cet.*] Quantopere ad formandum pulcri sensum conferat artium antiquarum studium, ostendit Hemsterhusius in erudiendo filio Francisco. Cf. Cranius p. 93 sq. et quae ad h. l. monuit Rink. p. 36 sq.

P. 42. *Sed hujus rei subtiliorem — explicationem non capit popularis scriptia.*] Omisit Rinkius, laudatis Valckenarii, Lennepii, aliorumque de Analogia et etymologia Graeca meritis, p. 39 sq.

Ibid. *Hemsterhusii civis, aequalis, condiscipulus, collega, amicus, — Albertus Schultensius.*] De arctissimo Hemsterhusium inter et Alb. Schultensium amicitiae vinculo operae pretium est afferre Valckenarii testimonium, scripto consignatum in Collectaneis:

»Qui pueri fuerant in scholis collusores, ubi maturuerat aetas, amici flagrarunt ambo Musico literarum amore, divinam experti delectationem, quae juvenes mordere solet literatos.

»Inter aequales exsplendescebant ambo, sic condiscipulis superiores, ut ad illorum excellentiam nullius contendere niteretur aemulatio.

»Linguarum veterum elegantiarum amorem Schultensio suo Hemsterhusius commovit. Dum hic Sirenum Graecarum et Latinarum scopulis detineretur, enavigavit Schultensius ad altiora; sic ut

unicus in suo genere Linguarum Orientalium doctor et felicissimus librorum Hebraicorum suae aetatis hominum admirationem moverit. Primum debuit amico Schultensius, ut severi Theologi virtutes humanitatis amore minime vulgari temperaverit, qua in re, sicut eruditionis, haeredem habuit Joannem Jacobum filium unicum. Deinde monitore Hemsterhusio Schultensius in intimos penetravit et altius multo, quam fecerant priores, Linguarum recessus: hac etiam in parte vi ingenii paulo nonnumquam altius provectus, quam ad Philosophicae veritatis severam regulam duceret Hemsterhusius.

»Qui fuit inter pueros et juvenes familiaritatis usus, nulla unquam simultate, sed locorum nonnunquam, in quibus docebant, interruptus fuit intercapedine. Franequeram Amstelodamo vocatus Hemsterhusius, invenit illic Schultensium suum. Hic Leidam vocatus amico suo praesente frui ante non potuit, quam locus in Academia vacaret, qui dari tamen ante potuerat. Leidae vetus amicitia fuit redintegrata atque ad finem usque vitae Schultensii jucundissime culta. Qui Jobum legerunt Schultensii admirabundi agnovisse sibi visi sunt in Salomonis Proverbiis amicum praesentem Hemsterhusii. Par illud hominum admirabile, quod grata posteritas dignis laudibus evehet, Lugduni Batavorum frequenter una philosophabatur, credo equidem jucundissimos ambo soles condidisse, quibus sive soli sive cum sui similibus Hagae quoque Comitum nonnunquam de rebus humanis et divinis pro sua quisque sapientia amabiles etiam convivae hominibus in luce versantibus e primaria nobilitate doctores, si quis ita velit, umbratici philosophabantur."

Quibus adjungantur quae in Orationis inauguralis Leidensis *de Literarum humaniorum studiis ad mores emendandos conferendis* epilogo, Schultensium alloquens, fassus est Hemsterhusius: »Hoc dicere mihi publiceque profiteri licebit, amicitiam nostram, naturae quadam ac studiorum similitudine a prima usque adolescentia conglutinatam, et mutuis officiis summaque voluntatum concordia perpetuo cultam, tam sancte constitisse, ut nunquam nobis in gratiam redire fuerit necesse." (Vid. Tib. Hem-

sterhusii et L. C. Valckenarii Oratt. Lugd. Bat. 1784, p. 97).

Alb. Schultensii *Animadversionibus philologicis et criticis ad varia loca veteris Testamenti*, Amstelod. 1709 (Operum min. p. 109—361), gratulatoriam epistolam praemisit Hemsterhusius (*Viro juveni eruditissimo atque elegantissimo Alb. Schultens P. S. D. T. H.*) Quid Hemsterhusio causae fuerit cur Literarum Orientalium studia, quibus et ipse Groningae tantopere excelluerat, progrediente aetate fere penitus abjecerit, ita ut ne Ruhnkenius quidem quidquam ea de re rescivisse videatur, disquisivit Cranius l. l. p. 51 sqq. Cf. etiam Geelii Praef. ad Anecdota.

P. 71. *Hujus amabilem humanitatem*:] Hemsterhusii cum stupenda eruditione conjunctam in familiari vitae consuetudine humanitatem praedicarunt cum alii, tum vero inprimis doctissimus eo tempore juvenis R. M. van Goens Praef. ad Porphyr. de Antro Nymph. 1765, p. XXXII: »Mora illa, quam Leidae feci, occasionem mihi praebuit familiaritate *Tib. Hemsterhusii* et colloquiis fruendi, quibus me beare dignatus est vir vere summus: et non eruditione adeo, qua neminem sibi parem habet aut habebit facile, quam humanitatis sensu spectandus: judicio ipsorum, non ejus, nam nullos habuit unquam, sed universae nationis nostrae inimicorum. Id lubens testor, si quid unquam in me fuit eritque humanitatis, me omne id exemplo hujus viri debiturum. Utinam illis, qui moroso suo ac difficili ingenio Humanis Literis dedecori sunt, incomparabilem hunc virum vel semel videre contingeret! Quam amabilis est humanitas in illius ore, qui merito Oraculum hujus saeculi habetur: quam grata ejus judicia, quam caute, quam sapienter prodita, etiam de iis, quorum perexigua in literas sunt merita: quam perplacet modestiae exemplum ab illo petere, cujus singula verba totidem sunt sapientiae et eruditionis praecepta! Dicas duram sortem canam hujus viri senectutem venerari, ut per integrum ferme saeculum bono publico ipsum conservaverit." Cf. porro, quae ad Heynium scripsit Brandisius, apud Heerenium in Vita Heynii p. 156 sqq.

P. 73. *Guilielmum et Carolum Bentinckios*] Annotavit in

Collectaneis de Hemsterhusio Valckenarius: »In Frisia viris principibus usus est familiariter, Goslinga praesertim et Vegelinio; in Hollandia amicum sibi lugent ademptum, ex primaria nobilitate par illud fratrum admirabile, comites Bentinckii.... et Carolus, uterque, quod hoc seculo mireris, studiosus antiquitatis eruditae."

P. 74. *Cum omnes accubuissent, cet. — dum solemne sacrificium peregisset.*] Ornatius quam verius a Ruhnkenio dicta suspicatur Cranius l. c. p. 89—91. Utcunque res sit, huc pertinent ex C. F. Matthaei ad Ruhnkenium epistola 28 Januar. 1779 data sequentia:

»Nihil quidem tua interesse scio, quodcunque judicium de isto elogio feram. Hoc tamen audeo dicere, istud mihi supra modum placuisse. Antequam istum librum vidissem, conjectura duntaxat augurabar, Te in Hemsterhusii vita exponenda perfecti Critici formam expressisse. Putabam etiam, me ibi non solum, qualis Hemsterhusius fuerit, sed et, quam ipse perfecti Critici ideam mente concepisses, reperturum esse. Nec me mea haec fefellit opinio. Utrumque enim nunc intellexisse videor. Maxime autem sum commotus, cum pervenissem ad locum illum, ubi Hemsterhusii constantiam et fortitudinem laudas, quam accepto nuncio de filii obitu demonstravit. Tum, ubi eum Xenophonti in re prorsus simili comparas. Ea vero me ita affecerunt, ut dubius essem, utrum Hemsterhusium plus admirarer, qui talem virum in isto casu se praestitisset, an Te, qui ita acute istam viri virtutem animadvertisses, digna laude illustrasses et, quod unum exemplum ex omni parte simile veterum auctorum litteris consignatum esset, id in tempore cum summa virtutis Hemsterhusii et Tui ingenii laude lectoribus in memoriam revocasses. Sed consultius me abstineo ab tantorum virorum laude, quos nemo unquam sanus reprehendit."

P. 77. *Foederatorum Belgarum historiam nova et inusitata ratione tradere coepit.*] Historiae patriae professio, ab anno inde 1738 Hemsterhusio commissa erat, primum Franequerae, deinde Leidae, eamque, Graecarum Literarum provincia Ruhnkenio Lectori tradita, perpetuo sibi servavit: vid. Ruhnkenii ad

bergae 1846[1]), accurate factam et nitide excusam, cum auctario annotationis haudquaquam spernendo.

Quum sub finem superioris seculi liber prima vice in lucem exierat, communi omnium intelligentium applausu exceptus est, ejusque honorifica a compluribus mentio facta, tam apud exteros, veluti in Millinii Horreo encyclopaedico a. 1800, auctore P. H. M(arron)[2]), et in Commentariis Seminarii philologici Lipsiensis a C. D. Beckio, Vol. I. p. 85—89, quam, etiamsi non sine invidiae et cupiditatis suspicione, in ipsa patria nostra, ne nunc de suo ipsum libro exponentem Wyttenbachium, Biblioth. Crit. P. XII, p. 112 sqq. testem excitemus.

Nec vero minus privatim a plerisque eorum, quibus libri sui, sive amicitiae sive honoris causa, muneris nomine missis exemplaribus, copiam fecerat Wyttenbachius, impensae illi gratiae actae sunt; a nonnullis vero etiam literas retulit partim laudibus affluentes, partim de nonnullorum locorum argumento eum aut interrogantes aut admonentes. Ex hoc genere sunt Meinardi Tydemanni illae et Henrici Const. Crassii, quas in Supplementis Epistolarum Ruhnkenii et Wyttenbachii a. 1847 prodidit Mahnius p. 58—63 et 111—114. Et adsunt aliae, quas data opportunitate publici juris fieri interest.

Denique incredibile dictu est, quantum ad bonarum litera-

---

[1]) *Vita Davidis Ruhnkenii*, a *Daniele Wyttenbachio* scripta. Ex Editione principe, cum Bergmaniana ed. et secundis curis Wyttenbachii diligenter collata, longe accuratius quam adhuc in Germania aut post Auctoris mortem in ipsa Batavia factum est, edidit et Adnotationes quum selectas *Frid. Lindemanni* et *Io. Theod. Bergmani* tum suas adiecit *Carolus Henricus Frotscher*, Dr. et Prof. Phil. Gymnas. Reg. Friberg. Rector. Accedunt Adnotationes Criticae et Grammaticae, bonarum literarum studiosis adolescentibus scriptae, atque Indices rerum et verborum locupletissimi. Fribergae 1846. Sumptus fecit et venumdat I. G. Engelhardt. 239 pagg. 8⁰. maj.

[2]) *Magazin Encyclopédique*, *rédigé par* A. L. Millin, *année* 6*me*, 1800, P. II. p. 70—92, cum hoc epilogo: »Wyttenbach a bien mérité des lettres par cette nouvelle production, mêlée d'une érudition piquante et de beaucoup d'anecdotes littéraires, qui en rendent la lecture aussi instructive qu'agréable."

rum studia alenda, excitanda et promovenda emolumenti contulerit Vitae Ruhnkenianae diurna nocturnaque lectio apud eos quidem, quibus

de meliore luto finxit praecordia Titan.

Erant illa quidem aetate, de qua loquimur, nam ut nunc est hodie vigent alia studia, alii mores, et vix amplius, paucis exceptis, inter ipsos Literarum humaniorum studiosos cognitus liber aut in manibus est; erant igitur, qui narrationis elegantia et suavitate capti, nec minus argumenti ubertate salubriumque praeceptorum utilitate moti, illum fere nunquam de manibus deponerent ejusdemque insigniores locos fideli memoriae impressos tenerent et identidem clara voce recitarent. Testes si quis quaerat, satis erit afferre laudabile exemplum et luculentum testimonium Jacobi Amersfoordt, in Dissert. philol. *de variis lectionibus Holmesianis locorum quorundam Pentateuchi Mosaici* (Lugd. Batav. 1815) praefat. p. VIII scribentis: »Leidam recens advena continuo me contuli in disciplinam Wyttenbachii Viri Cl.; quippe cujus libris legendis, inprimis Ruhnkenii Vitâ quotidie terendâ, puer ego primum cum melioris Latinitatis et universae Antiquitatis, tum vero obtinendae in literarum studio animi constantiae, amorem admirationemque unice imbibissem. Omnino per tres, quatuor, annos diem fere nullum praetermiseram, quin aliquam partem Vitae Ruhnkeniauae legerem; nunquam a lectione discesseram, nisi et doctior et melior idem. Itaque viri illius, quem absens tantopere admirari coeperam, Leidae continuo praesens institutionem commendationemque consectatus sum." cet. Idem quoque ante aliquot annos mihi affirmavit vir consultissimus idemque literatissimus Janus Pan in privatis ad me literis.

Nec desunt hodie qui libri praestantiam palam et agnoscant et celebrent. E quibus sufficiet laudavisse recentissimum Philologiae Neerlandicae historicum Lucianum Müller [1]).

---

[1]) Seinen (Ruhnkens) philologischen Verdiensten hat ein schönes Denkmal gesetzt die ausführliche und liebevolle Darstellung seines Schülers Wyttenbach, die in mancher Hinsicht eine Geschichte der Philologie

De ipso autem Ruhnkenio qui cognoscere omnia et singula velit, praeter conscriptam a Wyttenbachio Viri vitam, ei adeundus est Rinkii liber, cujus supra ad Elogium Hemsterhusii mentionem fecimus; neque porro negligat ipsius Ruhnkenii consulere epistolas a Mahnio aliisque editas, atque adeo Wyttenbachii epistolas, in quibus, quoties aut necesse erat aut commode fieri poterat, identidem Ruhnkenii sui memoriam coluit et renovavit. His denique adhibeat, quae ex ore Senis illius cum amico colloquentis passim protulit Heusdius noster in egregiis illis de institutione academica epistolis [1]).

Ruhnkenii obitum anno 1798 brevi commemoratione exornavit, in Millinii Horreo, quod modo diximus, idem Marronus, et ipse quondam illius discipulus, Vol. IV. P. 1. p. 550. deque ejus Bibliotheca, in Lugduno-Batavam translata, retulit ibidem, a. 1799. P. 5. p. 110, 387.

Quantam jacturam in Ruhnkenio fecerit Academia Lugduno-Batava, melius declarari nequit quam verbis quibus usus es auctor anonymus Gratulationis ad cives ejus solennia semisaecularia celebrantes anno 1825, p. 6:

»Hujus tanti viri gloria, quandoquidem proxime superiore, quod finivimus, dimidiato seculo unus omnium maxime Academiam Lugduno-Batavam illustravit, profecto impie ingratus sit quicunque bonarum se literarum studiosum profitetur, nisi hujus tanti viri immortali memoriae incorrupta et mente et voce litaverit; neque enim erit exacti nunc aevi historia numeris absoluta suis, nisi quae Ruhnkenii laudes, et quae ex ejus laudibus in Academiam redundarunt emolumenta, et qualis ex tanti viri

---

während Ruhnkens Leben repräsentirt und ohne Zweifel unter allen Elogien und ähnlichen Diatriben desselben Autors sich am meisten durch gediegenen Inhalt auszeichnet." *Gesch. der klass. Philologie in den Niederl.* S. 84.

[1]) *Brieven over den aard en de strekking van Hooger Onderwijs, uitgegeven door* Ph. W. van Heusde. Utrecht, 1829. Vid. p. 58, 61, 66, 110, 112, 113, 147, et alibi.

amissione jactura facta sit, vere et sincere commemoret; atque haec omnia pariter, licet in dissimili genere, valent de Valckenario. Jam vero utriusque virtutibus quamquam monumentum posuit Wyttenbachius, quo centum potiore signis munere illos donavit, tamen quando memoriam superiorum temporum replicamus, horum tam insigniter de literis et de omni omnino humanitate meritorum mentio virorum praetermitti non debuit."

Ruhnkenii scripta editaque ab eo aliorum opera ad finem libri sui summatim enumeravit Rinkius p. 264. Huc pertinent — praeter Dissertationes academicas *de Galla Placidia*, Wittebergae ad publicam disceptationem propositas a. 1843 — *Epistolae Criticae* duae, altera ad Valckenarium, altera ad Ernestum, a. 1749 et 1751; *Thalelaei* aliorumque commentaria in Cod. et Dig. 1752; *Timaei* Lexicon Platonicum a. 1754, iterumque 1789; *Hesychii* Albertini Tomus alter, a. 1766; *Rutilius Lupus*, cet. 1768; *Vellejus Paterculus*, 1779; *Homeri Hymnus* in Cererem, 1781, et *Epistolis Crit.* auctior 1782; *Muretus*, 1789; ne *Scholia Platonica* et *Schelleri* Lexicon commemoremus. Praeterea Orationes tres, *de Graecia artium et doctrinarum inventrice* 1757, *de Doctore umbratico* 1761, et *Elogium Tib. Hemsterhusii* 1768. Denique Disputationes academicae, sub praesidio ejus defensae, prima *de Antiphonte* a. 1765; altera *de Tutelis et insignibus navium*, 1770; tertia *de Longino*, 1776.

Opuscula viri minora varii argumenti, *oratoria*, *historica*, *critica*, tribus a se invicem diversis editionibus prodierunt: primum uno eodemque anno, Lugduni Batavorum apud Luchtmansios, et Londini, curante Thoma Kidd, impensis Guil. Henr. Lunn, 1807 [1]); deinde, post aliquot annorum intervallum, iterum Lug-

[1]) De utraque collectione diximus in Praefat. ad edit. alt., p. III sq. et retulit C. D. Beck in Actis Societatis philolog. Lips. Vol. I. p. 363 sq. Alterius Lugduno-Batavae anni 1823 censuram egerunt apud nos Censor Censorum (*De Recensent ook der Recens.*) ejusdem anni, Vol. XVI. p. 245 sqq. in Germania Relationes Gotting. (*Goetting. Anzeigen*) N°. 159, p. 1592, uberius G. J. Bekker in Annalibus Heidelberg. (*Heidelberger Jahrbücher*) 1824, N°. 67 et 68, p. 1081—1096, et Fr. Tr. Friede-

duni Batav. multo auctiora, duobus tomis, a. 1823; quam postremam editionem, paulo alia ratione ac distributione, repetiit in Germania Frid. Traug. Friedemann [2]).

De Ruhnkenii anecdotis a Tittmanno in lucem prolatis diximus Annot. p. 424. Quam Heynio quondam promiserat, Epp. ad Div. p. 19 et 25, Dissertationem *de antiquis Virgilii commentatoribus*, de ea nihil amplius constat: cf. Praef. ad Opusc. p. XXXI. Ejus in Justini Historiis Philippicis emendationes ineditas prodidit a. 1853 E. Mehler in Mnemosyne vernacula (*Tijdschrift voor Classieke Litteratuur, enz.*) Vol. II. p. 252—256, praemissa hac admonitione: »Asservatur in bibliotheca L. B. fasciculus (Ruhnk. 83), varias *D. Ruhnkenii* in utriusque linguae scriptores adnotationes criticae potissimum indolis continens. Quae cum singulae eximiae summi viri sagacitatis atque prudentiae possint esse documento, longe tamen praestantiores videntur quas in *Latinos* scriptores proposuit emendationes. Quarum praecipuas publici juris fieri atque libello nostro ornamento esse cum per eximiam *Jac. Geelii*, V. Cl., humanitatem atque liberalitatem liceat, initium jam faciam ab iis, quae ad *Justini Hist. Phil.* annotata inveni; quibus mox alia addam." Nec tamen postea, quantum novimus, ad alia avocatus, promisso stetit doctiss. Mehler.

De editis Ruhnkenii Scholis sive Dictatis suo loco dicemus.

Atque hic locus est nonnulla dicendi de Ruhnkenii *Epistolis*, sive de ejus cum aliis viris doctis exteris pariter et nostratibus commercio literario, quod attigit Wyttenbachius p. 232, quatenus post viri obitum sive publice innotuit, sive adhuc ineditum latet.

Epistolae ejus ad Ritterum, D'Orvillium, Ernestum, alios, partim jam antea variis locis editae, primum collectae sunt in Opusculorum ipsius editione Lugduno-Batava altera a. 1823, Tomo

---

mann in Seebodii Biblioth. crit. rei Scholast. Hildesh. 1824, N⁰. 4, p. 387—405. aliquamdiu post in Gallia Daunou in *Journal des Savans*, 1831, p. 411—418.

[2]) *Dav. Ruhnkenii Orationes, Dissertationes et Epistolae. Cum suis aliorumque annotationibus ed. cet.* Brunswigae, 1828. 2 v.

II; indeque nonnullis aliunde additis auctae in Germania repetitae in Friedemanni Collectione Brunsvicensi a. 1828. Non ita multo post Epistolarum Ruhnkenii, quas jampridem Wyttenbachius edere sibi proposuerat, nunc primum ex autographis editarum, tres deinceps fasciculos prodidit Guilielmus Leonardus Mahne, Vlissingae ex typographeo filii sui Maxim. Ant. Mahne, annis 1832 et 1834; quorum primo continentur *Ruhnkenii* et *Valckenaerii epistolae mutuae*, altero *Ruhnkenii ad Wyttenbachium*, postremo ejusdem *ad Diversos* epistolae. His post aliquot annorum intervallum accesserunt *Supplementa ad Epistolas Dav. Ruhnkenii et Dan. Wyttenbachii*, *itemque alia aliorum anecdota* edita et annotationibus illustrata ab eodem Mahnio, Lugduni-Batav. apud Sam. et Jo. Luchtmans, 1847. Innotuerunt brevi post Ruhnkenii ad Herm. Tollium quinque et Tollii ad Ruhnkenium quatuor epistolae, quas primum publici juris fecit Tollii nepos, vir doctissimus J. C. Drabbe, in Symbolarum literariarum, a Gymnasiorum doctoribus editarum, Vol. IX eoque postremo (Traj. ad Rhen. 1848) p. 151—174. Epistolae ad Koenium, Gregorii Corinthi editorem, fragmentum prodiit in Mnemosynes a Bakio et Cobeto editae Vol. X. a. 1861. p. 334 sq. ad Valckenarium, in hujus Memoria (Traj. ad Rhen. 1871). p. 115 sq.

Quum vero in fasciculis a Mahnio editis, de compacto cum Luchtmansiis, non recusae sint collectae Opusculorum tomo II epistolae, dolendum sane eas adhuc pluribus locis dispersas exstare, necdum omnes uno eodemque volumine conjunctim exhiberi. Praestitisset utique ab Opusculis excludi epistolarum appendicem, easque omnes Mahnio edendas relinqui.

Ceterum, quod attinet ad originem et fontes, unde ductae ac desumtae sunt Ruhnkenii epistolae huc usque editae, praeter Car. Morgensternii Programma Scholasticum Dorpatense mense Januario anni 1823, legenda sunt cum quae scripsimus in Praefat. ad Opusc. ex ed. alt. Lugd. Bat. p. LI sqq. apud Friedemannum p. LXXIII sqq. et p. LXXXIX (ubi praeterea exstat fragmentum Epistolae ad A. M. Bandinium mense Majo 1769), tum quae fasciculis a se editis praefatus est Mahnius.

Non ita multo post quam Lugduni Batavorum, apud Luchtmansios, a. 1823, in lucem prodierat altera Opusculorum Ruhnkenianorum editio, sub finem proximi anni pervenerunt ad Editores literae Ochsneri, Professoris Turicensis, quibus in gratiam futurae Epistolarum Ruhnkenii editionis ipsis offerebantur aliquot ineditarum subsidia. Sed juvat ipsius Ochsneri literas, humanitatis et officii plenas, huc referre:

Illustribus Academiae Leidensis Typographis

SAM. ET JO. LUCHTMANS

JO. JAC. OCHSNERUS S.

Haud ingratum Vobis videor esse facturus, qui praeter Opuscula, undique comparatas *Dav. Ruhnkenii* Epistolas singulari volumine edendas suscepistis, si, quid ipsi hanc in rem conferre mihi liceat, breviter Vobis exposuero. Habuimus nos nuper civem doctrinae elegantia clarum *Jo. Jac. Hottingerum*, eundem, cujus Vos ante hos quinquaginta annos libellum *de Nonnullorum in oppugnanda Religione ineptiis* in lucem emisistis. Huic tum in nobilissima urbe vestra versanti contigit principum in litteris virorum *Ruhnkenii* atque *Valckenarii* consuetudo ac liberalitas; quorum ille gratissimam sibi memoriam et privatim et publice testatus, nonnulla vicissim per aliquot annos vel librorum ab iis vel epistolarum praemia recepit. Quamquam major quaedam familiaritas ipsi cum *Wyttenbachio Scholtenoque* fuit, tamen post fata reliquit unam Valckenaerii brevissimam, duas Ruhnkenii epistolas longiores, quarum Vobis exempla petentibus, quandoque opus fuerit, tradi a me poterunt. Nam cognito ex Bergmani Praefatione et addendis de Epistolis Ruhnkenii colligendis consilio vestro, nihil ego cunctatus petii ab Hottingeri heredibus et pro ipsorum in me voluntate impetravi quidquid supererat litterarum; in his *Wyttenbachii* complures, *Ruhnkenii* illas quas diximus, unam versibus fere triginta — siquidem ipsius Ruhnkenii manum sequamur — datam 26 Aug. 1778 de *Sallustio*, alteram locupletiorem de *Vellejo*, scriptam d. 10 Junii

1784. Quas quidem epistolas nescio an Hottingerus ipse jam pridem reddiderit Wyttenbachio, quem earum teneri desiderio sciret. Quocirca ne Vobis sine causa molestus forem, aut, quod ajunt, actum agerem, tantisper supprimere istas malui, donec consulto, cui haec omnis cura commissa esse dicitur, Cl. Mahnio, certiorem me feceritis, quid de ea re potissimum fieri velitis. Equidem jucundissima vestrae humanitatis recordatione incitatus facere non potui, quin, si nihil aliud, animum certe ac studium Vobis meum probarem, quem et *Ruhnkenius* aliquando domi suae cum *Frid. Aug. Wolfio* lautissime excepit, et Vos ipsi vestrarum cupidum deliciarum coram vidistis. Sed si, quod sperare licebit, multisque volentibus acciderit, Ruhnkenianis subjungere Wyttenbachiana placuerit, ad omnia, mihi credite, officia paratissimum me habebitis. Ita valete, Viri spectatissimi, et res vestras bene gerite.

Dab. Turici Helvet. d. 20 Octobris 1824.

Quid his literis Luchtmansii responderint, non comperimus: eas sine dubio cum futuro editore Mahnio communicarunt, siquidem ipsas illas ab Ochsnero oblatas Ruhnkenii ad Hottingerum epistolas prodidit Mahnius Epp. ad Div. p. 154 sq. et 156 sqq.

Exceptis autem *Valckenario* et *Wyttenbachio*, ceterorum virorum, ad quos ad hunc diem partim in Opusculis, partim in Mahnii fascic. tertio, partim alibi editae fuerunt Ruhnkenii epistolae, nomina sunt: *J. Alberti*, *A. M. Bandini*, *Jo. St. Bernard*, *H. de Bosch*, *H. Bosscha*, *J. Capperonnier*, *J. A. Ernesti*, *C. H. Haken*, **A. H. L. Heeren*, **J. F. Herel*, **J. F. Heusinger*, *C. G. Heyne*, *J. J. Hottinger*, *J. H. Jungius*, *Im. Kant*, *G. Koen*, *L. Kulenkamp*, **J. D. van Lennep*, *J. Morelli*, *S. Musgrave*, *J. P. d'Orville*, *F. van Oudendorp*, *D. Passioneus*, **J. Pierson*, *R. Porson*, *B. L. Raphelius*, *J. de Retzer*, *F. T. Rink*, *J. D. Ritter*, *J. Ruardi*, *L. van Santen*, *Chr. Saxe*, *J. G. Schneider*, *B. P. van Wesele Scholten*, *H. A. Schultens*, *J. Schweighaeuser*, *G. L. Spalding*, *H. Tollius*, *Th. Tyrwhitt*, *J. van Vaassen*, **J. B. d'Ansse de Villoison*, *J. H.*

Voss, *P. Wesseling*, *W. F. van der Wilp*, *F. A. Wolf*. Quorum nomina asterisco notata sunt, ad eos non nisi fragmenta supersunt.

Plures aliae praeterea Ruhnkenii epistolae identidem commemorantur in collectionibus autographorum publice divenditorum: veluti in Catalogis Manuscriptorum cet. Virorum Vener. *D. C.* et *J. J. van Voorst*, Amstelod. 1859, N°. 1661; — Viri Cl. *H. G. Tydeman*, P. V. Hagae Com. 1865, p. 81, N°. 988 sq. — Virorum consult. *J. Fabius*, Rhenotr. 1867, N°. 1164, et *P. G. J. Hoog van Ter Aar*, Roterod. 1869, N°. 2335; — denique Viri ampl. *L. C. Luzac*, Amstelod. 1872, p. 76, N°. 746 sqq. ubi etiam Testamenti exemplar cum additamentis autogr. aderat. Nec dubium est, quin hujus generis plura aut notitiam nostram effugerint, aut suo tempore a nobis animadversa non fuerint.

Frequens omnino Ruhnkenio fuit cum viris doctis tam exteris quam indigenis literarum commercium, ut praeter ipsius ad alios datas epistolas testantur superstites multorum ad ipsum epistolae. Quamvis enim scripserit Wyttenbachius, Biblioth. Crit. P. XII, p. 91: »Apud ipsum invenimus *aliorum paucissimas;* quippe plerasque cremabat;" vel sic tamen post viri obitum ingens copia reperta est epistolarum ab aliis acceptarum, quae combustionis periculum evaserunt. In collectione epistolarum autographarum, quae Bibliothecae publicae Lugduno-Batavae accessit a. 1861 ex legato Viri ampliss. Lud. Casp. Luzac, ultra *sexaginta* virorum doctorum, excepto Valckenario, supersunt epistolae, plerorumque nonnisi paucae vix usque ad octo, nonnullorum vero complures, *Jo. Aug. Ernesti* adeo LXIII, *Heusingeri* XII, *Heynii* XXII, *Musgravii* XVI, *Spalletti* XII, *Wesselingii* XI. Inque his viris, praeter eos, ad quos exstant editae Ruhnkenii epistolae, minimum *quadraginta* alii commemorantur, quibuscum ei literarum commercium fuisse dubitari nequit et luculentis indiciis constat. Optandum sane ut ex hoc epistolarum ineditarum thesauro ea quidem, quae maxime cognitu digna videbuntur, prudenti delectu habito, a perita manu aliquando in lucem proferantur.

Praef. p. V. *Cum ipso orationis quasi perpetuitate ac filo*] Frotscherus pro *ipso* edi jusserat *ipsa*, quoniam sequitur *perpetuitate*, sed operae non paruerunt. Nisi sit vitium typographicum in ed. pr., fortasse Wyttenbachius scribere voluit *cum ipso orationis quasi filo ac perpetuitate*, quod omnino praeferendum.

Vit. p. 10. *Quod ibi, propter magistrorum copiam urbisque frequentiam, plurium rerum discendarum opportunitas esset.*] Aliam, eamque potiorem causam, quamobrem Regiomontium mitteretur Ruhnkenius, videlicet quod Christianus Schiffertus, Rector Scholae Stolpensis, Fridericiano Collegio inspector praepositus esset, attulit Rinkius p. 80.

Ibid. *Condiscipulorum: quorum unus — erat — Immanuel Kantius.*] Quam grata, etiam post triginta annorum intervallum, Ruhnkenio fuerit Kantii quondam condiscipuli memoria, quantique eum fecerit, declarant ejus literae ad Kantium datae mense Martio 1771. Has literas, primum a Rinkio publici juris factas, p. 267—271, repetiit in opusculis Ruhnkenianis Friedemann, T. II. p. 712—715, indeque inter Ruhnkenii Epistolas ad Diversos retulit Mahnius, p. 81—85. De Kantii cum Ruhnkenio in Collegio Regiomontano necessitudine, operae pretium est legere quae, allatis earundem literarum locis, scripsit F. W. Schuberi, *Imm. Kant's Biographie, Leipz.* 1842, S. 20—23.

P. 11. *Quam Theologiae*] Causam, quamobrem a Theologia aversum animum habuerit Ruhnkenius, a severiore Fridericiani Collegii disciplina repetiit Rinkius p. 83.

P. 18. *Hoc exemplo discant juvenes, cét.*] M. Tydemanni ad Wyttenbachium super hoc loco epistolam, ad quam pertinet hujus responsum Annot. p. 364 sq., edidit Mahnius in Supplem. Epp. Ruhnk. et Wyttenb. p. 58 sqq.

P. 19. *Gerardum Meermannum*] cujus Elogium, auctore C. G. Heynio, exstat in Comment. Gotting. histor. et philol. T. III. p. 129 sqq. ubi item p. 132 Ruhnkenii mentio fit, quem ille studiis fratris sui minoris praefecit. — Joannem item, Gerardi filium, privatim literas Graecas docuisse Ruhnkenium, testis est H. C. Cras in Jo. Meermanni Elog. p. 12.

P. 21. *Hujus per sex deinceps annos scholis assiduam operam navabat.*] Quae de privatis Ruhnkenii rebus et studiis ad h. l. annotavimus p. 369 sq. iis nunc addenda sunt nonnulla, e quibus patet, qua ratione, dum studiis operam dabat, cum bonarum literarum causae profuerit, tum suis ipse commodis honeste prospexerit.

Annotationum in Scripturam sacram potissimum Novi Testamenti philologicarum, ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto collectarum, specimina separatim excusa Hamburgi et Luneburgi annis 1709, 1715 et 1731, deinceps prodiderat Luneburgensis theologus literatus Georgius Raphelius. Divenditis temporis decursu exemplaribus, quum de iis conjunctim recudendis a bibliopolis nostratibus ageretur, editionis cura Ruhnkenio committitur, tunc temporis Lugduni Batavorum degenti. Ruhnkenius, ut constat ex duabus ejus Epistolis ad Georgii, anno 1740 defuncti, filium Brandanum Ludov. Raphelium datis a. 1745, consilio Hemsterhusii et Albertii, novae editionis curam suscepit, quae prodiit altero anno post, Lugduni Batav. apud Joh. Arn. Langerak 1747 duobus voll. cum Raphelii filii Praefatione, quamvis nulla operae ab Ruhnkenio praestitae mentione facta; cujus rei quae causa fuerit, liquet ex iis quae in illarum literarum alteris ipse Raphelio scripsit: »Sed non aegre feres, qua es humanitate, me in ultimo praefationis tuae paragrapho et *nomen meum*, quod nimiis laudibus ornasti, *delevisse*, et alia nonnulla, quae ad rationem editionis nostrae declarandam spectare putavi, mutavisse."

Duas autem has Ruhnkenii epistolas primus publici juris fecit Car. Morgenstern in Programmate Scholastico Dorpatensi anno 1823, retulit Mahnius inter Epistolas ad Diversos p. 74—78.

P. 22. *Multas adhuc superesse — barbaricae semina originis, ac reliquias sordesque.*] Vix dubium est, quin Wyttenbachius scripserit *multa*, proxime sequente *semina*, nisi, quod minus credibile est, retulerit ad posterius *reliquias sordesque.* Quod mirum est, nemini adhuc, neque Lindemanno neque Frotschero, fuisse animadversum.

Pag. 41. *Duabus Epistolis criticis: cet.*] De quibus diximus in Praefat. ad Opusc. p. XIII sq. et Annot. p. 399. Ad priorem in Homerum et Hesiodum, Valckenario inscriptam, pertinent Ruhnkenii ad hunc literae a. 1748 et 1749, Epp. mut. p. 14 sqq. et 44. Ad alteram in Callimachum et Apollonium Rhodium, ad Ernestum missam, quae leguntur ibid. p. 45, 50, 65, et Epp. ad Div. p. 104. Tertiae item ad Hemsterhusium scribendae propositum Valckenario significavit p. 26.

Qui Callimachi Hecales fragmenta collegit et disposuit Aug. Ferd. Naeke (Opusc. philol. ed. Welcker, Vol. II) honorifice quidem Ruhnkenii meminit, licet eum propter falsam, quam sibi informaverat βραχυλογίας Callimacheae speciem, multos bonos versus ex Hymnis ejici voluisse judicet; quod cujusmodi sit, non statuimus. — Ruhnkenii animadversiones in Apollonium Rhodium ex priore Epistolae crit. editione in usum suum convertit Brunckius in hujus poëtae editione, Argentorait 1780. curante G. H. Schaefero, cum Scholiis Gr. recusa Lipsiae, 1810 et 1813.

P. 44. *Denique accedebat Jurisprudentiae studium, cet.*] De navata a Ruhnkenio elegantiori Jurisprudentiae opera, cujus specimen prodidit in *Thalelaei aliorumque Commentariis Graecis in Tit. Cod. et Dig. de Postulando, cet.* Latina interpretatione et animadversionibus illustrandis, de quibus infra p. 47, diximus cum in Praefat. ad Opuscula p. XI et XV, tum in Annot. ad h. l. p. 402. Dudum antea prodierant Amstelodami apud Janssonio-Waesbergios *Jo. Gottl. Heineccii Opuscula minora*, a. 1738, cum Praefatione XII paginarum. Ad hanc exemplari suo quondam adscripserat Meinardus Tydeman: »*J. L. Uhlii* (teste Budero in Struvii Biblioth. Jur. *Dav. Ruhnkenii*, teste mihi Clariss. P. Bondam)". Atqui Ruhnkenius, natus a. 1723, tunc temporis vix XVI annorum juvenis, adhuc Regiomontii in Collegio Fridericiano degebat: cf. p. 11. Videtur Bondamo obversata fuisse *Heineccii Historia Juris Romani et Germanici*, quae cum Ritteri notis, adjuvante Ruhnkenio, prodiit Lugd. Batav. a. 1748. Cf. Annot. nostra l. l. et quae scripsit Wesseingio, Epp. ad Div. p. 104.

De Reitzio ad Theophilum edendum praestita opera, quod diximus, constat ex Reitzii Praefat. § 20 et 28; ex Addendis ad Tomum I, p. 94, nota *h.* 98, n. *c.* 153, ante n. *c.* 515, n. *b.* 535, n. *h.* ex Tomo II. p. 946, fragm. IV., p. 1116 sq. Art. VI. et VII. et ex Glossar. Theoph. p. 1275, voce Καλέω.

Ibid. *Traditisque domi commentando.*] Quod in Annot. p. 403 conjecimus *traditasque*, etiam Frotscherus ad h. l. praetulit.

P. 45. *Erat — in hac ipsa Academia — Hemsterhusius: erat, in altera Literarum cathedra, Oudendorpius: erat Theologus, rara Graecarum Literarum scientia, Albertius. Cet.*] Utilem Germanis suis operam praestitit Rinkius, notandis ad singula horum doctorum virorum nomina scriptis et scriptoribus praecipuis, quibus edendis inclaruerunt. Sed haec repetere non attinet, post ea quae in Annot. p. 403 sqq. ipsi attulimus. — *Jo. Alberti* vitam postea conscripsit Vir Cl. J. de Wal in Calendario annuo Drenthino (*Drentsche Volks-Almanak*, 1844). Ejus Epistolae duae prodierunt in Diario Anglico (*Classical Journal*) N°. 59., p. 149 sq. et N°. 60, p. 376. — Cannegieteri Programma de *Koenio* recudendum curavit vir doctiss. W. H. D. Suringar in Symbolis Liter. Vol. IV. p. 71 sqq.

P. 52. *Seorsim*] De ipsius Wyttenbachii admonitione (vid. Annot. p. 413) scribendum *seorsum*, ut hoc et aliis locis, p. 127 (ed. nostrae 169 v. 18), 169 (= 205 v. 26), 254 (= 276 v. 10) recte restituit Frotscherus.

P. 65. *Hos libros — emenda esse*] Operarum error in ed. pr. ab auctore non animadversus. Corrigendum *emendos.*

P. 67 sq. *Annum Lutetiae transegit Ruhnkenius: et incredibile est dictu, quot tam brevi spatio descripserit ineditos Grammaticos, Scholiastas, Rhetores, cet.*] Anecdotorum, quae ex Gallia secum reportavit, indicem, ultra triginta numeros complexum, redux cum Valckenario communicavit literis datis ineunte anno 1756, Epistt. mutuarum p. 83—94. cf. Annot. nostra p. 418. Missis ceteris, inter ea commemoratur N°. 21, *Anthologia* Graeca cum *edita*, tum *inedita* cum notis Salmasii, utraque aere sibi comparata. Ineditam hanc dono dedit Jo. Piersono,

ut hic testatur ad Moerin p. 235. Quo mortuo, deinceps pervenisse videtur ad Jo. Dan. Lennepium et ad Jo. Schraderum, denique ad Petrum Fonteinium; tandem, post editum jam Catalogum librorum mstorum a. 1852, transiit in Bibliothecam Lugduno-Batavam, itaque ad pristinam suam sedem revertit.

P. 71. *Miretur quis eum non in sodalitium Academiae Inscriptionum fuisse adscitum.*] Quod sub initium anni 1753 Valckenario scripsit Ruhnkenius (Epp. mutuarum p. 79), eodemque anno ad finem vergente Ernesto (Annot. nostrae p. 420), Academiae Regiae Inscriptionum et elegantiorum literarum socium se fuisse adscriptum, quem honorem ei gratulabatur Valckenarius p. 85, quomodo intelligendum sit, declarat Diploma in membrana exaratum ipsi traditum, quod una cum Bougainvillii actuarii literis in collectione Luzaciana, quam supra diximus, servatum est, quodque sic se habet:

EXTRAIT DES REGISTRES DE L'ACADEMIE ROYALE DES INSCRIPTIONS ET BELLES LETTRES.

Du Vendredi 22 *Décembre* 1752.

Sur la proposition faite à la Compagnie par M. Bignon Bibliotécaire du Roi et Vice-président de l'Académie, de donner un témoignage public d'estime et de considération à M. Ruhnken, qui s'est fait un nom dans la République des Lettres par quelques ouvrages où l'erudition et la critique se font également remarquer; La Compagnie, persuadée qu'il est de son devoir et de son intérêt d'entretenir avec les scavants étrangers un commerce utile au progrès des Lettres, a, par une délibération unanime, mis M. Ruhnken au nombre de ses Correspondants, et charge M. de Bougainville son Secrétaire perpétuel de lui expédier des lettres de correspondance, suivant l'usage et dans la forme ordinaire.

EN FOI DE QUOI j'ai signé les présentes lettres scellées du Sceau de l'Académie. Fait à Paris au Louvre le Vendredi vingt deux décembre mil-sept cent cinquante deux.

DE BOUGAINVILLE.

Accepto diplomate, Bougainvillii cura transmisso, quid responderit Ruhnkenius dici nequit: eum vero haud ita multo post humaniter et officiose rescripsisse testantur Bougainvillii literae mense Februario anni 1753 ad eum datae, quae ita se habent:

Mr. Capperonnier m'a remis, Monsieur, la Lettre obligeante que vous m'avez fait l'honneur de m'écrire. Je n'ai pas manqué d'en faire sur le champ la lecture dans l'assemblée de l'Académie. Cette lecture n'a pu qu'augmenter la satisfaction que nous avons tous, de nous être liés avec vous par une correspondance qui tournera sans doute à l'avantage des lettres, en vous mettant dans le cas de nous envoyer de tems en temps quelques ouvrages critiques de votre composition. Vous nous les avez promis, Monsieur; l'Académie vous a vu avec plaisir contracter vis à vis d'elle un engagement que vous êtes si bien en état de remplir. A mon égard je me fais un devoir de vous en prier; Je me regarderai comme vous étant obligé personnellement de votre exactitude à nous tenir parole, parceque personne ne s'intéresse plus que moi à l'honneur de l'Académie, et que vos ouvrages insérés dans ses mémoires pauvent y contribuer beaucoup. Il me reste à vous remercier, Monsieur, de tout ce que votre Lettre contient d'obligeant pour moi en particulier. Je dois ce préjugé favorable, dont vous m'honorez, au témoignage avantageux, que M. Capperonier votre ami et le mien vous aura rendu de moi. Mais quelque bon juge qu'il soit, vous scavez qu'il faut toujours se défier des yeux de l'amitié. Je crois mériter la sienne par mon estime et mon attachement pour lui. Il m'a souvent parlé de vous, Monsieur, d'une manière à me faire désirer avec vous une liaison particulière. Vous me l'offrez; et je me fais un honneur de l'accepter avec reconnoissance, comme je me ferai un plaisir de la cultiver. Je m'estimerois heureux, si le tems me fournissoit jamais l'occasion de vous donner des marques réeles de la sincérité des sentiments avec lesquels je suis

Monsieur

Votre très humble et très obéissant serviteur

à Paris ce 28 fevrier 1753. De Bougainville.

Sequitur ex hujus diplomatis, ceteroquin satis honorifice scripti, argumento, Ruhnkenium ab Academia lectum fuisse non *socii* sive *sodalis* nomine, sed ejus quocum literarum commercium iniret, quem quotiescunque necesse videretur consuleret, quique hodierno more *correspondens* vocari solet, minimo sane dignitatis gradu; unde factum ut ei annis proximis 1754 ac sequenti Lutetiae Parisiorum commoranti aditus ad Academiae consessus intercluderetur; qua de re in Bataviam redux merito quidem, attamen candide et modeste, questus est in literis nondum editis ad Capperonnerium Parisiensem, mecum aliquando a viro consultissimo eodemque amicissimo Jo. Tib. Bodel Nijenhuis communicatis, e quibus quae huc pertinent afferenda sunt:

»De quibus praeterea Tecum, ὦ Χαριέστατε, agere constitui, ea satius fortasse fuerit silentio premere, ne in vanitatis cujusdam suspicionem apud Te incurram: sed tamen fretus amicitia nostra, libere, quae sentiam, dicam. Quatuor jam anni sunt, cum Tua potissimum commendatione Academiae vestrae adscriptus sum. Ac sperabam initio, me plenum honoris titulum (*membre étranger*) quem mihi promiseras, censecuturum. Sed viso diplomate intellexi, mihi minorem quandam dignitatem, correspondentis scilicet, aliorum interventu (Bougainvillii fortasse) esse tributam. Qui honor cum alibi, tum in Batavia, non magni aestimatur. Certe ab Academia scientiarum hic titulus multis obscuri nominis Medicis Physicisque tribuitur: contra alter (*membre*) non nisi claris doctisque viris. Neque amplius miror, nomen meum in Calendario Regio, ubi omnes Academiae vestrae socii recensentur, plane esse omissum: quod hic malevolis quibusdam homuncionibus me calumniandi ansam praebuit. Atque haec ipsa forte ratio fuit, cur mihi aditus ad Academiam vestram, qui semper Schoepflino et Bimardo patuit, cum Parisiis degerem, esset interclusus. Equidem, mi optime Capperonneri, non tam vanus sum mihique suffenus, ut me quoquam sociorum vestrorum doctiorem credam: sed neque ita abjectus et male de meritis meis sentiens, ut mihi infra Schoepflinum, Askew, Peyssonel, aliosque

videar demittendus. Quae cum ita sint, vellem vel carere hoc correspondentis titulo, vel, si fieri posset, illum commutare cum altero honoratiore Academici liberi (*Académicien libre, ou Associé étranger*). Quod Tu, amice integerrime, facile efficies cum per alios amicos, Sallierium, Melotum et Falconetum, quos meo nomine quam officiosissime salutabis, tum per virum eximium, Lebeau, qui Academiae nunc est a secretis, cujusque ego humanitatem e singulare erga me studium Parisiis mirifice sum exosculatus. Quod superest, a Te, mi Capperonneri, peto atque contendo, ut hanc meam sentiendi et dicendi libertatem aequi bonique consulas, Tibique plane persuadeas, me excellentis ingenii Tui candidique animi dotes tanti facere, ut, qui Te plus me amet et in oculis ferat, habeas neminem. Vale. Dab. Leidae, d. 7 April. 1756."

Ruhnkenius quidem honorem sibi oblatum aliter interpretatus videtur. Epistolae certe ad Domin. Passioneum, Cardinalem eminentissimum, ejusdem anni mense Majo datae (Epp. ad Div. p. 92 sq.) haud veritus est subscribere: DAVID RUHNKENIUS, *Philosophiae Doctor, Academiae Regiae Inscriptionum et elegantiorum Literarum socius.*

Quod attinet ad ea, quae Ruhnkenio mandasse ab eoque petiisse videtur Academia, egit hac de re cum Valckenario l. c. his verbis: »Forte jam ex publicis schedis [1]) intellexisti, Academiam Regiam Inscriptionum et elegantiorum literarum me honorifico decreto inter socios suos cooptasse. Atque utinam vel partem aliquam praeclarae illius dialectorum, Laconicae imprimis peritiae, qua tu tantopere excellis, in me derivare possem! Sic

---

[1]) In Diario Leidensi (*Leydse Vrydagse Courant*) a. 1753, N⁰. 3, ex Gallia mense Decembri relatum legitur: »De Koninglyke Academie *des Inscriptions et belles Lettres* heeft in haare Vergadering van den 22 dezer Maand den geleerden Heer *David Ruhnkenius* te Leyden in Holland tot Haar *Mede-Lid* verkooren" Aliarum Ephemeridum inspiciendarum opportunitas nobis defuit.

Wyttenbachio postea a. 1814 eum honorem obtigisse, ut *Instituti Regii Francici Sodalis* cooptaretur, auctor est Mahnius in ejus Vita p. 229 sq. et 246.

enim haud deprecanda fuisset provincia, quam iidem Viri Clariss. mihi demandarunt, ut trecenta Marmora Laconica, a Fourmontio ex Graecia in Academiae Bibliothecam illata, ederem, notisque explicarem." subjecta statim, speciminis loco, unius inscriptionis interpretatione. Similiterque scripsit Ernesto »coepisse se aliquid commentari in Marmora vetera, quod insereretur Memoriis Academiae Inscriptionum et elegantiorum literarum Parisinae." Neque tamen, quod mandati exsequendi causa mox alacer aggressus erat opus, ad exitum perduxisse videtur, siquidem in commentariis Academiae nihil ab ejus manu profectum reperitur. Consultus aliquando hac de re Vir Cl. Boissonadius Parisiensis, brevi epistolio a. 1825 dato certiorem me fecit »se nihil in Academiae Inscriptionum Historia et Memoriis reperire potuisse quod ad Ruhnkenii sodalitatem pertineat, nec commentationis Ruhnkenianae in marmora vetera vel minimum exstare vestigium."

P. 74. *Haud dubio*] Et h. l. et infra p. 258 (nostrae ed. 280) corrigendum *haud dubie*, ut alibi scripsit Wyttenbachius: vid. Annot. p. 421 et 509.

P. 77. *Professorem in Graecis Literis novum ac rudem*] Quis significetur quum probabiliter constare videatur, nomine indicando supersedendum censuimus Annot. p. 423, et adhuc censemus. Tollium a Wyttenbachio nullo modo significari potuisse, quippe qui, Harderovico Amstelodamum vocatus, nec novus professor erat et Wyttenbachio haud ingratus collega fuit, rectissime monuit Lennepius ad Orationem suam saecularem, in Athenaei Amstelod. Memorab. p. 268.

P. 84. *De qua lite — non est quod plura dicamus*] De Gesneri in Scriptoribus rei rusticae edendis cum Julio Pontedera lite, legatur Gesneri Biographia Acad. ed. Eyringio, Vol. III. p. 347—350. Gesnerum acerbe petiit Pontedera in *Antiqq. Latinarum Graecarumque enarrat.* Patav. 1741, Ep. LIII. Humaniter respondit Gesnerus in Ep. ad Reitzium, Luciano praemissa, T. I. p. XXIV—XXX. recusa Opusc. min. T. III. p. 248 sqq. Alia apologia exstat in Actis Erud. Lips. 1743, m. Apr. et Maji.

P. 85 sq. *In pari universe eruditionis copia*] Restituendum *uni-*

versae, ut in ed. pr. exemplari suo correxit ipse Wyttenbachius.

P. 87. *Ruhnkenium subit Ritteri sui cogitatio: cet.*] De hoc Ritteri, oblatam sibi Ruhnkenii commendatione cathedram Lugduno-Batavam primum accipientis deinde repudiantis, pravo consilio, praeter laudatas in Annot. p. 428 sq. Ruhnkenii ad ipsum Epistolas, omnino legantur eae, quas, subjectis Joannis van Royen, Academiae actuarii, et Des Bordes, Legationi Batavae a secretis, ad Ritterum literis, datas a. 1761 et seq. edidit Friedemannus, Vol. II. p. 589—614, et quas inde, suppressis tamen Royeni et Bordesii literis, inter Epp. ad Div. p. 47—73 protulit Mahnius. Anno superiore 1760 Ritterum ad Cathedram Rhenotrajectinam commendaverat Wesselingio, ibid. p. 127.

P. 97. *Unus Wesselingius — tradebat Historiam Universalem — memoriter omnia narrabat, subinde per auditorium ambulans, cet.*] Huc pertinet Mein. Tydemanni admonitio in Ep. ad D. Wyttenb. a. 1800, edita in Mahnii Supplem. Epp. D. Ruhnkenii et D. Wyttenbachii (1847) p. 59 sq. »Quod de Wesselingio narras, perperam tibi relata esse non dubito. Ipse ejus scholas frequentavi per quinquennium: — — numquam vero per auditorium ambulantem vidi, nisi quando dictaret, quod faciebat tantum in scholis de Antiquitatibus vel Linguae Graecae, numquam in Historicis, iisve, quas de Jure Naturae, Notitiave Rerum publicarum habebat: meminique exemplum Tursellini illi adfuisse chartâ distinctum, quod, ni fallor, apud Clar. Bonnetum, Wesselingii generum, Trajecti ad Rhenum superest. Eadem tibi referet, haud dubito, Cl. Waterus, meus olim commilito."

De Wesselingii scholis historicis cf. praeterea Jod. Heringa, El. f. Or. de Auditorio Rheno-Traject. 1825, p. 195.

P. 98—107. *Nondum in publico docendi munere constitutus — ad se ipsum quemque cognoscendum, rectamque studiorum viam ingrediendam, convertit.*] Totum hunc locum, singulari festivitate insignem, praetermisit Rinkius, p. 161.

P. 109 sq. *Igitur fructuosae erant hae scholae cum ad intelligentiam ipsius Auctoris, tum universe ad rerum scientiam, cet.*] De Ruhnkenii scholis sive, quae dici solent, Dictatis haud

uno loco in Vita viri egit Wyttenbachius. De iis, in quibus Lectoris nomine Graecos scriptores auditoribus interpretabatur, p. 74; de Historicis, p. 95 sqq.; de Antiquitatibus Romanis, p. 108 sq.; de iis denique quae Latinis scriptoribus destinatae erant hoc loco. Cf. Annot. nostra p. 422, 430 sq. 435 sq. et Praefat. ad Opusc. p. XLIX sq. Friedemanno p. LXV—LXVII. Horum Dictatorum quaedam diu post viri obitum in lucem protracta sunt. Cum *Terentii* comoediis Ruhnkenii in eas Dictata primum edidit Brunsius a. 1811. Brunsiano exemplo emendatius multisque partibus integrius ex apographo Hamburgensi repetita sunt cura Ludov. Schopeni, Bonnae 1825. Scholia in *Suetonii* Vitas Caesarum, quibus jam in Suetonio edendo partim usus erat F. A. Wolfius, edidit Jac. Geel, Lugduni Batav. 1828. Dictata in *Ovidii* Heroidas et Albinovani elegiam primum edidit Frid. Traug. Friedemann, Lips. 1831. In *Antiquitates Romanas* denique Lectiones academicas, post inchoatam quondam Erfurdtii operam, edidit H. C. A. Eichstädt, Speciminibus deinceps XXII, Jenae 1818—1835, quibus an ad finem perducta sit opera, dicere non possumus. *Ciceronis ad Familiares epistolas*, quas diximus p. 436, absoluto scholarum penso, sub finem anni cursorie interpretari solitum fuisse Ruhnkenium, ab ampliss. H. van Royen quondam accepimus. — Ruhnkenii *protheorias*, sive praevias scholis aperiundis prolusiones, quinque edidit Mahnius in Supplem. Epp. Ruhnkenii et Wyttenbachii p. 26—39.

Omnium horum Dictatorum exempla autographa adsunt inter Ruhnkeniana in Bibliotheca Lugduno-Batava, secundum Geelii Catal. mstor. N°. 663, 590, 582, 547, ac praeterea Scholae de *Xenophontis Memorabilibus*, N°. 310, ac de *Lucae Euangelio* et *Actis Apostolorum*, N°. 277 et 234, siquidem ibi pro *Scholia* legendum est *Scholae*.

P. 112. *Munchusius — mittit qui ei cathedram luculento quovis cum salario offerret, et accipere persuaderet.*] Fecit hoc per Jungium, consiliarium regium, cujus hae sunt ad Ruhnkenium datae literae:

CELEBERRIMO VIRO DAVIDI RUHNKENIO,

S. P. D.

JO. HENR. JUNGIUS.

Tantum abest, Vir Clarissime, ut post meum è Belgio discessum vel regionis vestrae, vel virorum ibidem eruditione florentium memoriam deposuerim, ut potius temporis apud vos transacti jucunda saepius recordatio animum subeat: in primis vero ad illos subinde mentis oculos retorqueam, quos cum ob necessitudinem, tum ob singularem doctrinam, maximi semper feci, et, dum vivam, facturus sum.

Quandoquidem Tu igitur, Vir amicissime, inter praesentia Bataviae decora eminentem locum jure meritoque tueris, non est profecto quod mireris, Tui jam plus vice simplici mentionem honorificam apud nos habitam fuisse, cum de eo sermo incideret, qui in B. Gesneri locum succedere possit, imo debeat, si Gottinga damnum illud, quod tam cari capitis jactura adtulit, resarcire velit. Quae cum ita sint, partim pro eo amore, quo in Musas Gottingenses feror, partim pro ea veneratione, quam eruditioni tuae debeo, sustinui non tantum haec ad Te scribere, verum etiam majorem in modum abs Te petere, ut vel tribus verbis mihi significes, velisne vacuefactam τοῦ πάνυ Gesneri cathedram occupare, modo bonis conditionibus ad eandem inviteris. Nullus autem dubito, quin hoc fiat (tanta enim est apud nos nominis tui fama) si duntaxat constet aliquem adhuc apud Te superesse Germaniae amorem: immo spondere audeo (quod vero tutis auribus depositum velim) eas Tibi tunc conditiones oblatum iri, quae exspectatione justa haud minores futurae sunt.

Ne autem armorum sonitus, quem passim Germania etiamnum audit, Tibi metum aliquem incutiat, mitto Tibi novissimas ephemerides litteratas, quae Gottingae prodierunt, ex quarum initio praesentem rerum faciem ipse videbis et, quam parum sibi nunc quidem à Gallo metuant devota Musis pectora, facile perspicies. — Quaecunque igitur tua hac super re sententia fuerit, fac intra breve, si fieri possit, temporis intervallum non nesciam. Vale! Scripsi Hanoverae a. d. VIII. Octobr. 1762.

PS. Fac ita rescribas ut responsum tuum palam proferre queam. Si quid habes, quod non velis foras eliminari, mihique soli dictum cupias, id schedulae separatae committas quaeso.

Ad has literas mox d. XVIII proximo rescripsit Ruhnkenius eam epistolam, cujus partem illam, qua Heynium commendavit, attulit Heerenius (vid. Annot. p. 436), quaeque integra legitur in Mahnii Supplem. Epp. Ruhnkenii et Wyttenbachii p. 16 sq »Itaque" ut subjecit Wyttenbachius »Ruhnkenii commendatione factum est, ut Heynius Goettingam vocaretur." Id quod ipse Ruhnkenius Wesselingio significavit, Epp. ad. Div. p. 130.

P. 119—123. *Annum primum supra quadragesimum agebat Ruhnkenius, cet. — vix umbram et leve vestigium referat.*] Quae h. l. de Ruhnkenii amoribus, nuptiis ac matrimonio retulit Wyttenbachius, operae pretium est conferre cum iis quae hinc in brevius contracta, in relatione de Vita Ruhnkenii, desumsit Ruhnkenii aequalis et quondam discipulus P. H. Marron:

»*Ruhnkenius* étoit parvenu célibataire jusqu'à l'âge de 41 ans. Un ancien consul du commerce hollandois à Livourne, nommé *Heirmans*, vint demeurer à Leide. Il avoit une fille d'une rare beauté, née dans ce port de la Toscane. Je me rappelle fort bien qu'on l'appeloit *la belle Italienne*, et que la jalousie n'osoit s'inscrire en faux contre cette espèce d'hommage populaire rendu à ses charmes. Dix-huit ans ajoutoient à ses droits de plaire. *Ruhnkenius* avoit eu jusques-là, comme Aristippe, pour maxime en amour, de jouir sans s'asservir: *(Habere potius quam haberi)*. Il pensoit ou rester garçon, ou ne contracter que ce qu'on appelle un mariage de convenance, dans lequel les considérations de la fortune ne sont pas ordinairement les moindres. Mais l'adorable *Marianne* éclipsa tous ces projets. Jamais le Professeur de Leide n'avoit si bien expliqué dans ses leçons, qu'il sentoit maintenant, l'énergie de ce vers:

Ut vidi! ut perii, ut me malus abstulit error!

(Virg. *Ecl.* 8, 41)

Il obtint le coeur et la main de celle qui l'avoit ainsi métamorphosé. Hélas! il ne prévoyoit pas tous ses chagrins domesti-

ques. Au bout de six années de mariage, Mme *Ruhnkenius*, mère de deux filles charmantes, éprouva une attaque d'apoplexie, qui d'abord la priva de la parole, et ensuite aussi de la vue. Elle existe encore aujourd'hui dans ce déplorable état. Sa fille cadette est également devenue aveugle."

Vid. *Magazin Encyclop. par* MILLIN, ann. 6me, T. II. p. 78.

Quod autem in literis ad Chardonum Rochettium datis aliquando scripsit Villoisonus, apud Wolfium in Analectis Liter. P. II. p. 416, Ruhnkenii uxorem fuisse *cantatricem Italam* (»La femme de R. était une *chanteuse italienne*, fort belle, fort galante, ce qui a donné lieu à des épigrammes sanglantes de Burman second") inde ortum videtur, quod, ut ex Wyttenbachii narratione p. 120 certo constat, quamquam e parentibus Batavis, in Italiae portu Liburno nata erat, ac probabiliter cantare sciebat.

Amoris et rei uxoriae ergo tarditatem suam in scribendo Ruhnkenius excusavit apud Heynium anno 1764, Epp. ad Div. p. 3 sq.

Nomen soceri *Heirmans* et uxoris praenomen *Mariamne* paulo aliter scribuntur in Ruhnkenii de vita sua narratione ad Hakenium data, intra Annot. p. 465, *Maria Heiermann*, sive ipse ita indicaverit, quod non est probabile, sive Hakenii negligentia et errore. Ipsa quidem vidua, mariti obitum nuntians, nomen suum subscripsit *Marianne Heermans*.

Quod p. 123 scripsit Wyttenb. *sexto conjugii anno*, verius scribendum fuerat *octavo*, siquidem anno 1763, (a. d. XVII mensis Novembris) aetatis XLI, matrimonium iniit Ruhnkenius, ut est p. 119 et in narrat. ad Haken. l. l.; quae autem hic narrantur, teste Wyttenbachio p. 157, anno demum 1771 accidisse dicuntur. Notavit ad h. l. Frotscherus.

Domesticas Ruhnkenii res et calamitates pluribus Vitae locis attigit Wyttenbachius: veluti ipsius Ruhnkenii morbos et podagricas ac chiragricas affectiones, p. 176, 206, 270, 273 sqq.; uxoris et filiae majoris morbos, p. 189 et 203; rei familiaris difficultates, p. 214 sq. 253 sq. 264 sq. Et ipse Ruhnkenius in epistolis ad Wyttenbachium passim p. 18, 23, 33, 58; filiae minoris Mariamnae mentio fit p. 36, 58, 59; majoris Elisabethae, p. 43,

59, 61, 67 (cf. Vitae p. 203), 72, 75 sq. et sororis (,) p. 33, 35, 39, 41, 64. Soceri obitum Tollio significavit mense Februario 1776 (Symb. Lit. IX. p. 172). — Filiae minoris obitum anno 1801, majoris matrimonium et in Galliam abitum, Wolfio narravit Wyttenbachius, Epp. fasc. II. p. 24. Ruhnkenii domum, eo mortuo venditam, clade Leidensi 12 Januarii 1807 misere quassatam, solo aequatam esse, scripsit ibid. p. 37, 39.

P. 126. *Augustinum Staverenum, Nepotis editorem, cet.*] Cf. in loco de Nepote Saxius, Onom. Lit. P. I. p. 151 sq. quem in Annot. p. 443 laudare debueram. Ruhnkenii obiter meminit J. G. Ith, in Praef. ad suum Nepotem, Bern. et Laus. 1779. p. III.

P. 127, 28. *Legens Apsinem, cet. — ad editionem fere paratum reliquit moriens.*] De hoc Ruhnkenii invento Longiniano, post ea quae in Annot. ad h. l. p. 447—450 dicta sunt, praeter Leon. Spengelium, qui illud non nisi obiter attigit in commentatione *Συναγωγὴ Τεχνῶν* inscripta (Stuttgart. 1828) p. 11 et 111, not. 49, deinceps retulerunt, in nova Rhetorum Graecorum a se curata collectione (Stuttgart. 1832—1836) C. Walzius, Vol. IX. Praefat. p. XXIII sqq., in Epistola critica huic vol. subjecta, C. E. Finckh, p. 772, in sua Longini editione (Paris. 1837), cum praemissa Ruhnkenii de Longino dissertatione, A. E. Egger, Praefat. p. 2; in singulari libello Gallice scripto nobilissimus Séguier (*Dissertation sur le fragment de Longin contenu dans la Rhétorique d'Apsine; etc.* Paris, 1838); inter nostrates Bakius in Nuntio artium et literarum (*Teregtwijzing voor den heer Walz betrekkelijk het fragment van Longinus*, in *Algem. Konst- en Letterbode* 1839, No. 37, bl. 137—140), iterumque in Relationibus periodicis Instituti regii Neerlandici (*Over het fragment van Longinus door Ruhnkenius bij Apsines ontdekt*, in *Het Instituut enz.* 1845, No. 1, bl. 52—68.) Idemque vir Cl. haud ita diu post fragmentum illud Longini, additis Ruhnkenianae, quae supererant, annotationis reliquiis, in lucem protulit in libro: Apsinis *et* Longini *Rhetorica. E codicibus mss., adhibita supellectili Ruhnkeniana, recensuit* Joh. Bakius, Oxonii typis academicis a. 1849 edito ac Tho. Gaisfordio inscripto; in cujus libri

Prolegomenis § II et III, p. XIII sqq. XXVIII sqq. quae huc pertinent propemodum omnia exhausit ipsumque fragmentum prodidit p. 127—146. Nihilominus paucis annis post exortus est in Helvetia vir doctus, Leon. Vaucher, qui eandem quaestionem de fragmento Longini Ruhnkeniano denuo retractaret, illudque fragmentum repeteret in libro Gallice scripto (*Etudes critiques sur le Traité du Sublime et sur les écrits de Longin*, etc. *Genève*, 1854), p. 31—42 et Fragm. XXIV, XXV et XXVI, p. 312 sq. 356 sq. 364 sq. ceterum libellum περὶ ὕψους Longino plane abjudicans et Plutarcho tribuens; qua de re respondit ei Bakius in operibus Academiae regiae scientiarum (*Over de vraag of Plutarchus de autheur is van het stuk* περὶ ὕψους? in *Verslagen en mededeelingen der Koninklijke Academie van Wetenschappen, Afd. Letterk.*, Deel III, bl. 72 en volg.) ipse incerti auctoris multis nominibus minus bene Graece scriptum opus ad longe seriorem aetatem referens. Sed haec quidem quaestio ab hoc loco aliena est.

P. 133. *Nunc succedebat Valckenarii vigor, cet.*] Ruhnkenii hanc cum Valckenario comparationem, usque ad p. 141, praetermisit Rinkius in contextu p. 177, ipsis Wyttenbachii verbis Latinis retulit in Addendis p. 285—293.

P. 140. *Heroicis ingeniis*] Exemplaris sui margini adscripsit Wyttenb. »Gell. XVIII. 7. Cic. Tusc. I. 33."

P. 142. *Eodem anno edidit Rutilium Lupum, cet.*] Cf. Praefat. ad Opusc. p. XXVII, laudata Ann. p. 454. Honorificam libri censuram prodidit Klotzius, Act. Lit. 1768, Vol. V. P. 2. p. 188—194, candide fassus: »Corollarium, quod muneri oblato accessit, magis nobis placuit munere ipso. Loquimur de *Historia Critica Oratorum Graecorum.*" Cf. Luc. Müller, l. c. p. 85 sq. Rutilium Lupum cum Aquila Rom. et Julio Rufin. ex recensione et cum adnotationibus Dav. Ruhnkenii repetiit, multisque accessionibus locupletavit C. H. Frotscher. Lips. 1831. Ed. nova, observationum appendice aucta. Ibid. 1841.

P. 146. *Omisso Antiphonte, de quo antea doctum juvenem disputantem ipse praeses produxerat*] Nomine *Petrum van Spaan.*

qui in titulo *auctor* dicitur. Quae de hac Disputatione in Praefat. ad Ruhnkenii Opuscula p. XX dicta sunt, iis nunc accedat verissimum Luc. Mülleri judicium, disputationem hanc omnino veterani auctoris, non tironis manum prodere censentis [1]).

Ibid. *Ruhnkenius — majore etiam acumine et subtilitate, rationes Taylori confutavit, ut assentientem haberet Valckenarium*] Cujus cum Ruhnkenio consentientis de hoc argumento disputationem ex adversariis ejus in lucem protulit Sluiterus Lectionum Andocid. p. 17—26, ut annotavimus Opusc. T. I. p. 330 sq. Nihilominus recentiore aetate denuo ad Taylori partes redierunt quidam viri docti, in his A. G. Becker, *Andokides übersetzt und erläutert* (*Quedlinb. u. Leipz.* 1832) et Frid. Vaterus, Rerum Andocidearum Cap. IV. (in *Neue Jahrb. für Philologie und Pädagogik*, *XIter Supplem. Band*, 3tes Heft, S. 426—47) Sed hanc litem dirimere nec nostrum est, nec hujus loci.

P. 148—154. *Ego undeviginti annos natus — — stationem ac domicilium.*] Omisit Rinkius in contextu; retulit ipsis Wyttenbachii verbis, in Addendis p. 294—299.

P. 154. *Versabatur tunc in animadversionibus ad Xenophontea Socratis Memorabilia — conscribendis — et me sui causa hos libros relegere — jubebat.*] Huc pertinet locus ex Ruhnkenii Epist. ad Wyttenbachium a. 1770, p. 20: »Velim, meâ caussâ legas Xenophontis *Ἀπομνημονεύματα*, notatis singulis locis, ubi vitium subodoreris. Equidem in eo sum, ut notas meas,

---

[1]) *Gesch. der Philologie u. s. w.* S. 86: »Schon vorher (1765) hatte Ruhnken eine detaillirte Untersuchung über den ältesten der erhaltenen Redner veröffentlicht — den es ist mir unzweifelhaft, dass R. seinem Schüler P. van Spaan bei der Diss. de Antiphonte nicht bloss, wie dieser es euphemistisch ausdrückt »varia ad Antiphontem pertinentia ex insigni ineditorum librorum apparatu suppeditavit", oder ihm nur die Hand geführt hat; sondern dass die Arbeit im wesentlichen durchaus von ihm herrührt. Stil und Art der Behandlung sind ganz wie in ähnlichen Schriften Ruhnkens, alles zeigt das Werk eines reifen Mannes, nicht eines sechzehnjärigen Knaben. Beredt erscheint auch das Schweigen mit dem jener in der Geschichte der Attischen Redner den Antiphon bis auf den Nahmen übergeht."

quas jam ante triennium ad Ernestum miseram, majore cura retractem."

P. 159. *Christ. Ad. Klotzius, homo perelegantis, sed inquieti et contentiosi, ingenii*] Klotzii indolem simili ratione descripsit Nicolai in Praefat. ad Vol. CV—CVII Novae Germanicae Biblioth.[1]) et Reiskius in epist. ined. ad Ruhnkenium. Vitam Klotzii conscripsit C. E. Mangelsdorf, Halae 1772.

P. 159. *Ut supra dixi*] pag. 126.

P. 171. *Oderici libellus — in Memor. Acad. Inscript.* T. XXXIX.] Omisit Rink. p. 198. Ad inscriptionem a Barthelemio editam, mox memoratam, pertinent quae Sanctocrucio scripsit Wyttenbachius Epp. Fasc. I. p. 56: »Ex Ruhnkenio jam tunc aegrotante audivi, Barthelemium — Inscriptionem recens repertam edidisse, qua ipsius sententia de Dionysiorum Atticorum festis plane confirmetur. Ajebat se libellum Barthelemii modo Parisiis ad se delatum accepisse, sed amico cuidam commodasse. Mortuo Ruhnkenio, repetivimus libellum ab amico. Is dixit se eum Ruhnkenio adhuc vivo reddidisse. In bibliotheca mortui non inventus est."

P. 172. *Accidit ei mox novae suavitas notitiae cum Christ. Frid. Matthaei, — qui Ruhnkenio ignotus duos à se repertos misit Hymnos Homericos.*] Juvat ipsas Matthaei literas, sub finem anni 1777 ad Ruhnkenium datas, hic apponere. Sunt illae hujus argumenti:

Celeberrimo atque Doctissimo
RUHNKENIO
S. P. D.

CHR. FR. MATTHAEI *Universitatis Caesareae Mosquensis Professor.*

Quamquam Tibi inclarescere semper judicavi mihi honestissimum fore, idque adeo multoties optavi; tamen, qua id commode

---

[1]) *Neue Algem. Deutsche Bibliothek*, Berlin 1806, Vorr. S. XIX: »ein fähiger Kopf ohne gründliche Gelehrsamkeit, fertig im Lateinschreiben und im schnellen schreiben überhaupt, dabey frech und ohne Sitten, der durch Selbstlob und durch allerley Kabalen und Klatschereyen, die bis zur Verläumdung giengen, gelehrten Ruhm erlangen wollte, wozu ihm ähnlicher junger Skribler behülflich seyn musste."

fieri posset ratione excogitare non potui. Maxime ergo laetor, me talem nunc ad Te invenisse viam, qua ad Te accessisse potius, quam irrupisse viderer. Quid? quod magis etiam me confirmat et majori spe benevolentiae Tuae me ad Te adire jubet, ipsum Homerum ad Te nactus sum commendatorem et ducem. Ejus enim nuper hic sum nactus codicem manuscriptum, qui non solum omnes illos Hymnos, qui in editione Lipsiensi Ernestii, Praeceptoris quondam mei, a pag. 3 ad 93 leguntur; sed et ineditum fragmentum Hymni in Bacchum et illum bene longum Hymnum in Cererem, cujus fragmentum ex Pausania in eadem editione repetitum est pag. 134, complectitur. Jam cum ex praefatione Ernestii intellexissem, et raros esse horum Hymnorum codices manuscriptos, et Te, Vir Doctissime, in iis emendandis reliquos antecelluisse omnes, continuo ad Te scribendum Teque interrogandum putavi, annon placeret Tibi, si illum ineditum Hymnum cum fragmento illo inedito et variis lectionibus ad reliquos Hymnos a me accepisses, iterum manum illis opusculis admovere eaque Tuis animadversionibus illustrata edere. Ut ergo ipse Codicis bonitatem aestimare posses, misi ad Te varias lectiones ad Hymnum in Apollinem, ex ineditis autem adjeci tantum, quantum haec charta poterat capere. Codex ille est recentior quidem, videturque mihi, conjectura ducta ex pluribus hujusmodi Codicibus, in quibus annum, quo scripti essent, notatum reperi, ineunte sec. XV scriptus, a scriba tamen satis diligente. Si ergo Tibi visum fuerit, hoc in Te suscipere negotium, et hujus tam antiqui scriptoris reliquias in unum collectas denuo publicare, facias me, quaeso, ea de re certiorem. Simul atque enim id ex Te intellexero, reliqua omnia brevi post ad Te transmittam. Sin indignum Tua doctrina Tuoque ingenio hunc laborem judicaveris, aut gravioribus negotiis jam occupatus fueris, meum Tibi inserviendi Tibique placendi studium vel benevole agnosce, vel humaniter excusa. Vale, Vir Doctissime, mihique fave. Scripsi Mosquae in aedibus Universitatis d. $^{14}/_{25}$ Oct. 1777.

P. 173. *Vellejum jam ante quadriennium edere instituerat, cet.*] De Ruhnkenii Vellejo Paterculo, a. 1779 edito, diximus in

Praefat. ad Opusc. p. XXXV. Exemplari suo, nunc in Bibliotheca Acad. Lugd. Bat. servato, haud pauca identidem adscripsit, in usum novae, si quando, editionis; cf. p. 204. Huic accedit exemplum censurae ex Bibliotheca Germanica *[Alg. Deutsche Bibliothek]* Vol. XLVIII. P. II. p. 528—558. Alia censura exstat in Volborthii Bibliotheca philol. ejusd. anni, Vol. I. N°. III. p. 40—47. Jo. Jac. Hottingeri *Specimen observationum criticarum ad Vellejum Paterc.* (ex ed. Ruhnkenii) in Museo Turicensi ab ipso aperto, Tur. 1782, Vol. I. p. 349—363, idcirco commemorandum, quoniam ad Hottingerum scribens eo respexit Ruhnkenius (Epp. ad Div. p. 156) et quoniam in recentissima W. Engelmanni Bibliotheca scriptorum classicorum Graecorum et Latinorum (Lips. 1858) ejus mentio desideratur. Velleji Paterc. quae supersunt cum integris animadversionibus doctorum, curante D. Ruhnkenio, denuo edidit, multisque accessionibus locupletavit C. H. Frotscher, praemissa Car. Morgensternii Commentatione de fide historica Velleji eique objecta adulatione, Lips. 1830, 39, 2 v. Nota sunt aliorum in Vellejo emendando et restituendo, post Ruhnkenium, posita studia, A. H. Cludii (Hannov. 1815), Jo. Casp. Orellii (Lips. 1835) et Frid. Kritzii (Lips. 1840, 48). Ruhnkenii de Velleji Latinitate cum Burmanno contentionem parum opportune attigit Bakius in Praefat. ad Ciceronis de Oratore libros p. XV, immemor fortasse Burmannum, opera communis amici L. Santenii, cum Ruhnkenio in gratiam rediisse, teste Wyttenbachio p. 170. Monuit me amicus integerrimus J. Pan.

P. 176. *Hymnos Homericos edidit sub initium proximi anni, cet.*] Significantur Hymni illi duo, nondum antea editi, e Cod. Mosquensi a C. F. Matthaeio accepti, de quibus supra p. 172 dictum erat, et infra uberius dicitur p. 183, alter in Cererem, alterius in Bacchum fragmentum. Priorem hanc editionem, inente anno 1780 in lucem emissam, quum duobus in contextu locis mutilam comperisset Ruhnkenius (Cf. ejus epistola ad J. H. Vossium mense Augusto ejusdem anni, Epp. ad Div. p. 158), mox alteram ei substituit, addita Vossii interpretatione Latina metrica, anno sequenti 1781. cui deinde, substituto novo titulo,

Epistolas suas criticas, annis 1749 et 1751 editas, nunc retractatas subjecit a. 1782 [1]). Allatis locis ex Wyttenbachii Bibliotheca critica P. III et VIII, diximus hac de re in Praefat. ad Ruhnkenii Opusc. p. XXXVI sq. Praeterea de Ruhnkenii his Hymnis impensa opera retulerunt in Germania censor, nomine K., in Volborthii Nova Bibliotheca philol. (Gott. 1782) Vol. I. Fasc. I. N°. IX. p. 136—148, et in Gallia, in Commentariis Academiae regiae Inscriptionum ac Literarum, doctiss. Dupuy (*Observations critiques sur l'Hymne à Ceres, publié par M. Ruhnkenius*, in *Mémoires de Littérature de l'Académie royale des Inscriptions et belles Lettres*, 1780—84, T. XLVI. p. 416—451.) Hymnum in Cererem Anglicis versibus expressit Rich. Hole (Exeter, 1782). Eundem Latine redditum, cum aliis carminibus minoribus, Ruhnkenio inscripsit Laur. Santenius, Lugd. Bat. 1784, repetitum in Santenii Poëmatibus, ed. J. H. Hoeufft, 1801, p. 173—194.

Observationes criticas nonnullas in Homeri Hymnum in Cererem conscripsit doctus quondam Oraculorum divinorum apud Dordracenos interpres Car. Wilh. Stronck, Medioburgi 1819, in Novis Commentationibus Societatis Zelandicae, Vol. III. Eundemque Hymnum denuo critice tractavit et animadversionibus illustravit, adjecta interpretatione versibus Germanicis, elegantis ille doctrinae vir, quem modo diximus, Joh. Henr. Voss, Heidelbergae, 1826. Addantur Cobeti ad hunc Hymnum annotationes insertae Mnemosynes Vol. X. (1861) p. 309 sqq.

Ipsum, in quo Hymni illi servati sunt, Codicem antiquum Ruhnkenius Bibliothecae Lugduno-Batavae, cui praefectus erat, postea comparavit, eique in fronte brevem notitiam, originem et fata codicis complexam, manu sua inscripsit: quae notitia, pri-

---

[1]) Utriusque editionis exempla nobis in manibus sunt. Altera simpliciter inscribitur: Homeri *Hymnus in Cererem, nunc primum editus a* Dav. Ruhnkenio. *Lugduni Batav. apud S. et J. Luchtmans*, 1781. constans Praefatione, Textu Graeco et Vossii Versione Latina. Alterius inscriptioni subjicitur: *Accedunt duae Epistolae Criticae, ex Editione altera multis partibus locupletiores. Lugd. Bat. cet.* 1782. nova paginarum serie. Edito primum Hymno, Ruhnkenius postea demum Epistolarum crit. addendarum consilium cepisse videtur.

mum a Mahnio edita in Supplementis Epistolarum Ruhnkenii et Wyttenbachii (Lugd. Bat. 1847), p. 24 sq. iterum, ex ipsis Matthaei literis paululum amplificata, a Geelio repetita est in Catalogo Librorum manuscriptorum Bibliothecae, anno 1852 edito, N°. 22, p. 9; denique a Cobeto relata Mnemosynes l. l.

Missis aliis, qui inde a Ruhnkenii aetate in Hymnis Homericis aut omnibus aut singulis recensendis versati sunt, eosque commentariis suis sive ornarunt sive onerarunt, unus nobis commemorandus est vir doctissimus *H. Hignard*, Literarum humaniorum Doctor et Professor Lugduni in Gallia (*Lyon*). Is, in Hymnis Homericis illustrandis occupatus, ante aliquot annos in Bibliotheca Lugduno-Batava ipse Codicem inspexit, unde duo illi Hymni primum in lucem prodierunt, et Matthaei datas ad Ruhnkenium literas consuluit. Domum redux, brevi post egregium de hoc argumento opus publici juris fecit, Gallice scriptum: *Des Hymnes Homériques, etc. Paris, A. Durand, et Lyon, Palud*, 1864. in quo, cum de ceteris Hymnis Homericis docte et ingeniose egit, tum de utriusque Hymni invento, editionibus, commentatoribus et interpretibus in variis etiam recentioribus linguis data opera exposuit, Ruhnkenii simul in loco, quem Hymni illi in Codice occupant, indicando errorem modeste notans.

P. 181. *Sed incidit, quae eum ab utraque in perpetuum abalienaret, offensio.*] Hemsterhusius an umquam, ut modo dixerat Wyttenbachius, *Optimatum sectam probaverit*, eique se addixerit, merito dubitare videtur Cranius, eum potius perpetuo *Nassavicarum partium* fuisse existimans (*Bijzonderheden de familie Hemsterhuis betreff.* bl. 68 en v.); unde etiam arcta ejus cum Guilielmo IV, Franequerae studiorum causa degente, postea totius reipublicae Gubernatore, necessitudo intelligitur (vid. ibid. p. 75, 138). De gravi ista ei a Magistratu Amstelodamensi illata *offensione* conferantur quae annotavit Lennepius ad Athenaei Amstelodamensis Memorab. p. 167, ejusdemque Oratio saecularis p. 182.

Ceterum non satis perspicuum est, quid sibi velit istud *ab utraque*, siquidem quum, ut legitur p. 180, duae essent in re

publica sectae adversariae, altera *Nassavica*, altera *Optimatum*, alterius patrona erat civitas Amstelodamensis. Rectius utique scripsisset Wyttenb. *ab illa*, scil. Optimatum.

P. 184. *Hermesianactis*] cujus fragmentum ab Athenaeo servatum Ruhnkenius tractavit in altera Epistolae Criticae II editione, p. 283—298, relatum Opusculorum Vol. II. p. 614—635. Qui post eum in eodem argumento versati sunt viri docti, praeclara ejus in hoc literarum genere merita palam agnoverunt, alter Gallus, nomine *Z. Pons*, cujus opuscula postuma edidit C. Giraud, Parisiis a. 1836; alter Anglus, *Jac. Bailey*, qui Hermesianactis fragmentum notis, glossario et versionibus instruxit, cet. Londini 1839. assumta Ruhnkenii Elegiae praemissa de poëta disputatione pag. 82. Et ille quidem Gallus editor, licet in Praefatione locum minus accurate indicans, disputationem hanc vere vocavit »une notice littéraire pleine de goût et de délicatesse sur l'auteur du poëme. On reconnait dans l'écrit de Ruhnken la sagacité savante, qui caractérisait ce critique: son ouvrage est peut-être la dissertation la plus achevée que nous ayons sur cette matière. Il y a joint comme objet de comparaison l'élégie de Phanoclés." Hermesianactis et Phanoclis elegias Latino carmine reddidit Laur. Santenius, Poëm. ed. Hoeufft, p. 195 sqq.

P. 185. *Edito illo Hymnorum et Epistolarum criticarum volumine, proximus erat, quem promeret et ad editionem instrueret, Plato. cet.*] Classicus locus de Ruhnkenii studiis Platonicis, de quibus duce Wyttenbachio diximus in Praefat. ad Opusc. p. XLI—XLVII. Quod mox p. 186 legitur, Ruhnkenium, abjecto Platonis integri edendi consilio, constituisse Platonicam materiam omnem tripertito libro complecti, *Timaeo*, *Scholiis* et *Miscellaneis*, de Timaeo quidem, quod voluerat, perfecit altera editione a. 1789, de qua infra p. 200, ubi vid. Annot. p. 475. Scholia, de quibus jam dictum erat p. 162, et infra dicitur p. 203 sq. 276 et 278, typis descripta reliquit moriens, biennio post edita. Miscellaneis collectanea tantum instruxerat, uberius in posterum elaboranda.

De altera illa Timaei editione scripsit in Millinii Horreo Gallico,

loco mox laudando, doctus in Gallia vir, Chardon Rochette: »La seconde édition du Lexique de Timée, donnée à Leyde en 1789, est un des ouvrages de ce genre, les plus parfaits qui existent. Le nombre des morceaux inédits, tirés des grammairiens, est immense, et c'est un livre véritablement classique, non-seulement pour la lecture de Platon, mais encore pour la connoissance intime de la langue Grecque." Eam in Germania recudendam curavit, observationum appendice auctam, accedente comparatione prioris editionis cum altera, Georg. Aen. Koch. Lipsiae 1833, aliis etiam dotibus commendanda editio. Specimen Auctarii animadversionum in Timaeum Ruhnkenii scripsit *A. Jahnius*, Bernas Helvetius, in Annalibus philologicis (*Neue Jahrb. für Philol. und Pädag.*, *Xter Supplementb. 2es Heft*, 1844, S. 220—239).

De Scholiorum editione Lugduno-Batava referens in Millinii Horreo encyclopaedico [1]) idem Chardon Rochette hoc judicium tulit: »Le texte des Scholies, qui paroit depuis peu de mois, étoit imprimé depuis plusieurs années, ainsi que les deux premières pages des notes. Quant aux *Miscellanea Platonica*, ils sont sans doute dispersés dans les papiers de l'auteur, qui ont passé à la Bibliothèque de Leyde; mais le reste des notes, qui devoient expliquer les Scholies, dont nous nous occupons aujourd'hui, est dans un état tel qu'il faudroit une main très-habile et très-patiente pour mettre ce travail en ordre; et puis, la meilleure partie n'étoit pas sur le papier, elle étoit restée dans cette tête si bien meublée, si pleine de connoissances de toute espèce, et possédant, au suprême degré, l'art expuis, le goût qui sait en faire une juste distribution, et un emploi sage:

. . . . . *Tantum series juncturaque pollet.*

HORAT.

---

[1]) Duobus deinceps locis, Ann. VI, T. IV, p. 453—460, et Ann. VII, T. I. p. 145—202. Posteriore loco, ordine Alphabetico, recensentur Poëtae et Scriptores, in his Scholiis laudati, et exhibetur tabula Dialogorum Platonis, ad quos Scholia pertinent. Similem Scriptorum indicem confecit Porsonus, relatum in ejus Miscell. criticis (*Tracts and miscellaneous criticisms*), Londini editis a. 1815, p. 270—275.

Je crains bien qu'on ne soit obligé d'appliquer à cet ouvrage, laissé imparfait, ce que Pline (Liv. XXXV, ch. 10 et 11) dit de la Venus que Praxitèle destinoit aux habitans de Cos: *invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad praescripta lineamenta inventus est.... manus cum id agerent exstinctae desiderantur.*

Denique non omittendum, quod antea nos latebat, *Scholia in Platonem ad supplenda Ruhnkeniana* edita esse a Gaisfordio in Catalogo sive Notitia manuscriptorum Clarkianorum in Biblioth. Bodleiana (Oxon. 1812) p. 70—93.

P. 185. *Edenburgensibus novam editionem molientibus*] Platonis scilicet. Sed haud scio an pro *Edenburgensibus* substituendum sit *Glasguensibus.* Medio circiter seculo superiore Robertus et Andreas Foulis, Academiae Glasguensis typographi, edito programmate specimen proposuerunt edendi Platonis typis novis grandioribus ad exemplar typorum regiorum, quibus Novum Testamentum in folio edidit Rob. Stephanus, IX voluminibus in 4°, aut VI in folio: cujus Programmatis exemplar in Bibliotheca Ruhnkeniana repertum est. Cf. quae ex Ruhnkenii ad Ernestum epist. a. 1751 data retulimus in Praefat. ad Opusc. p. XLII. Et quod de *Edenburgensi* instituto scripsit Bernardus loco laudato Annot. p. 467, idem valet de *Glasguensi.*

P. 188. *Himerius Wernsdorfianus, cet.*] De hoc negotio, in collectione autographorum Luzaciana, de qua supra diximus, supersunt duae ad Ruhnkenium epistolae, altera Gottl. Wernsdorfii a. 1754, altera Jo. Chr. Wernsdorfii a. 1782. Hic: »Frater meus" inquit »quondam Professor Gedanensis, Himerii Sophistae declamationes ineditas e Codd. antiquis descriptas editioni paraverat." Saepius hac de re cum Wyttenbachio egit Ruhnkenius in Epp. ad eum datis a. 1783 et 1784, p. 39, 40 sq. 42. Post varios casus et multa discrimina rerum, tandem Heynii commendatione prodiit liber Gottingae, sumtibus Ruprechti, 1790. Himerii reliquias a Photio servatas jampridem seorsum ediderat Henr. Stephanus Parisiis 1567, reliqua aliunde supplevit Wernsdorfius.

P. 190. *Huic nemo successurus erat nisi quem Ruhnkenius commendasset.*] Valckenario successit, quod quippe tunc temporis omnibus notum referre non opus erat, Wyttenbachio frustra sollicitato, illius discipulus et cognatus Joannes Luzac, cui »ut et deferretur provincia, et delatam ut hic susciperet", Ruhnkenium, monente Bavio Voorda, »sua commendatione et adhortatione effecisse", retulit J. O. Sluiter in Epist. ad Matthiam Temminck, Luzacii Lectionibus Atticis (Lugd. Bat. 1809) praemissa, pag. V. Ac de Ruhnkenii in Luzacio vocando commendatione postea amplius constitit ex pluribus Epistolarum Wyttenbachii, a Mahnio editarum, locis, Fasc. I. p. 55, 60. II. p. 18, 28, 54.

P. 192. *Ita Ruhnkenius — maximam optimamque librorum Gronovianorum partem, parvo pretio, bibliothecae Lugdunobatavae vindicavit.*] Huc pertinet fragmentum Epistolae ad Wyttenbachium, in Supplementis Mahnii editum p. 24: »Totum fere thesaurum Gronovianum parvo pretio Bibliothecae publicae paravi. Non aderat licitator Britannus, non Gallus, non Germanus. Catalogus stulte et inepte factus omnes exteros ab emendo deterruerat."

P. 199. *A me habebit Phrynichum Arabium, cet.*] Henr. ille Hana scilicet, de quo ante dictum erat, et de quo diximus in Annot. p. 470—474. Ad h. l. conferantur quae Wyttenbachio scripsit Ruhnkenius a. 1787, Epp. ad Wyttenb. p. 54, et alibi passim p. 50, 56, 73, 75, 84, ac de Phrynicho ejusdem literae ad Bernardum datae, Epp. ad Div. p. 133, 135, 139, 141 sq. Apparatus ille ad Phrynichum edendum, Hanae traditus, hoc Amstelodami, ubi Gymnasio praeerat, a. 1806 mortuo, pervenit ad successorem ejus in Rectoratu Amisfurtensi, G. L. Mahnium, ut hic Wyttenbachio significavit literis Zierizea datis d. 27 Decembris 1810. Ex Mahnii, a. 1852 Lugduni Batavorum defuncti, supellectile literaria publice divendita transiit in manus nostras, Ruhnkenianis in Bibliotheca publica in posterum restituendus. Constat autem, praeter Phrynichi Graecum opus, Hanae manu ex Ruhnkenii apographo descriptum, primum exemplo *Phrynichi*, ed. Nunnesio, Aug. Vindel. 1601, cum uberrima *El. Stoeberi*,

Argentoratensis, annotatione ms.; deinde Notis *Cl. Sallierii* in Phrynichi Eclogas Atticorum nominum et verborum, subjecta duorum codd. ms. collatione; denique Phrynichi Apparatu Sophistico Graeco, e codd. transscripto, cum ejusdem *Sallierii* notis mss. Omnia autographa. Phrynichi hanc *προπαρασκευὴν* prodiisse in Bekkeri Anecd. Graecis vix opus est monere.

P. 200. *Timaeus, cet.*] De hac altera Timaei editione vid. quae diximus supra ad p. 185.

P. 201. *In Mureto plane novam eamque criticam navavit operam.*] Cf. Praefat. nostra ad Opusc. p. XLVII. Mureti Opera omnia ex mss. aucta et emendata, cum brevi adnotatione Dav. Ruhnkenii, selectisque aliorum et suis adnotationibus instructa, denuo edere instituit *Car. Henr. Frotscher*, Phil. Doct. et Professor Lipsiensis. Cujus instituti prodierunt duo volumina, I et II. Lipsiae 1834; complexa Mureti *Orationes* et *Opuscula varia*, ejusdemque *Epistolas* et *Poëmata*. Tertium volumen, *Variarum Lectionum* libros et *Observationes Juris* continens, recognovit et adnotationibus instruxit *Georg. Aen. Koch*. Ibid. 1841. Plura prodiisse non videntur. Consilii sui rationes in Proöemio exposuit Frotscherus, fassus »emendatiora nunc et pleniora, quam dedit summus Ruhnkenius, Mureti opera exhiberi." Quod cujusmodi sit, non statuimus. Plura etiam promittuntur in annotationibus Ruhnkenianae Praefationi subjectis, in posterum edenda. Mureti *Variarum Lectionum* libros, separatim a Frid. Aug. Wolfio edi coeptos, prodiisse Halis Sax. 1791 et 1828, duobus voll. et *Scripta selecta*, curante Car. Phil. Kayser, Heidelbergae 1809, a Wyttenbachio Philom. L. I. p. 208 sq. commendata, notum est. Mittimus alia, a Friedemanno allata ad Praefat. ad Ruhnkenii Opuscula, ed. Brunsv. p. III. De Mureti commentariis in Ronsardi Amores Villoisoni, a Ruhnkenio dissentientis, judicium retulit F. A. Wolf in Anal. Liter. P. II. p. 406. D. Ruhnkenii Notas grammaticas et L. Santenii Notas prosodiacas in Mureti scripta separatim recudendas curavit Fr. Tr. Friedemann, Wittenb. 1822. 8°.

Ceterum, quam *Mureto* operam praestitit Ruhnkenius, eandem aut similem aliquando destinaverat *Joach. Camerario*, de

cujus operibus in unum corpus colligendis et edendis eum subinde consilium agitavisse retulit Wyttenbachius p. 16; et *Josepho Scaligero*, cujus operum variorum, Hemsterhusio auctore, typis iterandorum augendorumque consilium se cepisse, a. 1758 Valckenario significavit Epp. mut. p. 111 sq. hoc probanti p 114. Scaligeri vitam eum aliquando conscribere cogitavisse, auctor est Wyttenb. p. 273. Biörnstahlii, peregrinatoris Suedi, importunum de Scaligero dictum Ruhnkenio indignationem movisse scripserat p. 205 sq. De gente Scaligeri quae fuerit Ruhnkenii sententia, relatum legitur in ejusdem Itinerario, Vol. V. p. 383 sq.

P. 202. *Scholarum, lectionis, ambulationis, celebritatis, convictus, venationis, omnino consuetudinis ac vitae quotidianae, idem erat opus, idem studium.*] Omissis his, nonnulla Ruhnkenii vitam quotidianam spectantia, qui ipse domum ejus frequenter adierat, Rinkius hic opportune interposuit p. 220—227; quae, quoniam liber non in omnium manibus est, ipsis viri verbis huc referre, operae pretium ducimus:

»Gleich am nächsten Tage nach meiner Ankunft in Leiden, war mein erster Gang der zu Ruhnken. Er nahm mich gütig auf, und es gereichte mir, wie es schien, auch zu einiger Empfehlung, sein Landsmann zu seyn. Das Gespräch lenkte sich augenblicklich auf das Studium der humanistischen Wissenschaften, und zwar zunächst in Teutschland. Er war, nicht ohne hinlänglichen Grund, sehr unzufrieden mit der Art, mit welcher man unter uns meistens dieses Studium nach seinen einzelnen Theilen, damals wenigstens, zu behandeln pflegte. Dagegen aber dachte er mit ganz verdienter Achtung, vorzüglich an Heyne, Wolf, Schneider, Schütz, Voss und Heeren. Auch bemerkte er, in Hinsicht auf den Hauptendzweck meiner Reise nach Leiden, das tiefere Studium der orientalischen Litteratur, dass, so wie Hemsterhuys die Kenntnis der morgenländischen Sprachen nicht vernachlässigt, Albert Schultens dagegen auch die griechische und römische Litteratur nicht ohne Sorgfalt cultivirt habe. Nicht ohne einen reichen Schatz neuer Ideen und Belehrungen, nicht

ohne manchen Vorsatz gefasst zu haben, dessen zuweilen etwas schwierige Ausführung dennoch vielen Reiz über mein nachmaliges Leben, so wie über meine fernere Studien verbreitete, schied ich aus dieser ersten Unterhaltung mit Ruhnken, nachdem er mir vorher, nicht nur mit der eben erschienenen zweyten Auflage seines *Elogii Hemsterhusii* ein schätzbares Geschenk gemacht, sondern mir auch freywillig die Erlaubniss ertheilt hatte, ihn, wenn, und so oft ich wollte, zu besuchen. Eine Erlaubniss, deren ich mich um so lieber bediente, weil ich fand, dass meine wissbegierige Zudringlichkeit ihm nicht lästig wurde, sondern seinem Eifer, das Studium der humanistischen Wissenschaften überall auf das möglichste zu fördern, Vergnügen gewähre.

»Ruhnken war von mittler Statur, näherte sich aber durch seinen gedrungenen festen Körperbau, dem Anscheine nach, mehr der Grösse als Kleinheit. Dem ohngeachtet waren alle seine Züge nichts weniger als hervortretend und ausgewürkt; alles schien an ihm gleichsam wie abgerundet, bis auf den Kopf und die einzelnen Züge seines Gesichtes. Dabey hatte sein ganzes Benehmen etwas ausnehmend Gerades und Schlichtes, dass man eher einen wackern Bürger gewöhnlicher Art, als den Gelehrten, der er war, in ihm würde vermuthet haben. Er imponirte dem allen zufolge gleich anfänglich bey weitem weniger, als sein damaliger Collega, mein unvergesslicher H. A. Schultens: bedurfte es dagegen bey diesem einiger Minuten, um ein nachher freylich unerschütterliches Zutrauen zu ihm zu gewinnen: so war dies bey Ruhnken die Sache eines Augenblickes. Ohngeachtet seiner Jahre, Anstrengungen und manigfacher Leiden, war sein Ansehn dennoch sehr munter, und sein Gesicht voll, roth und meistens faltenlos; eine Folge seines ruhigen, genügsamen und heitern Temperamentes, ohne welches er wahrscheinlich schon in seiner beschränkten häuslichen Lage, Stoff und Ursachen genug der Verringerung seiner Körperkraft würde gefunden haben. Teutsch zu sprechen war er nicht mehr vermögend; so sehr hatte er seine Muttersprache verlernt. Auch nicht einmal so viel Zeit verwandte er auf sie, als zum genauen Verständnisse

in ihr abgefasster Schriften würde erforderlich gewesen seyn. Ueberhaupt hatte seine ganze Bildung eine Richtung genommen, die nur sehr schwer noch, oder eigentlicher gesagt, gar nicht mehr einen gebohrnen Teutschen in ihm erkennen liess. Aber auch das Französische und Holländische hörte auf, in seinem Munde französisch und holländisch zu seyn. Man würde, hätte man es nicht gewusst, schwerlich, wenn er irgend eine dieser Sprachen redete, geahnet haben, dass er sich einst geraume Zeit in Paris aufgehalten, und so viele Jahre, bey weitem die meisten seines Lebens, in Holland zugebracht habe. Selbst das Lateinische endlich sprach er lange mit der Fertigkeit nicht, die man bey einem solchen Kenner desselben hätte voraussetsen sollen. Der Grund davon lag, wie es mir schien, gerade in seinem feinen Gefühle von ächter Latinität, das im schnellern Flusse der Rede für ihn vielleicht zu oft würde verletzt worden seyn, und in der Prätensionslosigheit seines Charakters, die zum Nutz und wahren Frommen der Wissenschaften, recht vielen so genannten und seyn wollenden Gelehrten zu wünschen wäre. Er mochte indessen in einer Sprache reden, in der er wollte, immer hörte man ihn gerne, denn alles, was er sagte, hatte Gehalt, Deutlichkeit, Präcision, und etwas besonders Angenehmes.

»Noch jetzt, wie ehedem, stand er gewöhnlich frühe Morgens um fünf Uhr auf, arbeitete bis zehn Uhr, hielt dan zwey Vorlesungen, deren Werth — die lateinische betraf, als ich dort war, den Ovid — ich nach dem vorhin gesagten, nicht jetzt characterisiren darf, speisete um ein Uhr zu Mittage, und ging dann, mehrentheils auf einem bestimmten Wege, auf die Jagd, oder spazieren, aber auch in diesem letzten Falle meistens von zwey Jagdhunden begleitet. Auf dieser Promenade, von der er in der Regel um vier Uhr wieder zurückkehrte, suchte ich ihn dann auf, und begleitete ihn zu einer Tasse Thee nach Hause, zu der ich, so gut wie ein für allemal, eingeladen war. Die Lebhaftigkeit und das Interesse, mit dem er sich dann über die Gegenstände seiner Lieblingsstudien verbreitete, hielt dann oft unsre Schritte an, und so kam es, dass wir bisweilen auf dieser

Rückkehr von dem Spaziergange, eine ganze Stunde brauchten, um einen Weg zu beendigen, der sonst nur eine Viertelstunde würde erfordert haben. Aber mitten unter der lebhaftesten Unterhaltung dieser Art bemerkte er es, wenn sich seine Hunde zu weit zu verlaufen schienen; unbemerkt steckte er dann ein kleines knöchernes Pfeifchen in den Mund, aus dem dann unvermuthet ein schneidender Ton als Wink für seine Hunde erschallte, der, ehe ich es inne ward, und mich daran gewöhnte, mich manchesmal sehr unangenehm überraschte.

»Die Tasse Thee ward in Gesellschaft seiner beiden Töchter genossen. Im Winter war sein Platz dicht am Camine, in dem er mitunter die Kohlen aufschürte, und der meinige ihm gegenüber. Der Gegenstand unsrer Unterhaltung war immer derselbe, und immer gewährte er mir neue Ansichten, Belehrungen und Handgriffe; so dass ich mit Recht gestehen darf, erst damals eigentlich Interesse für das Studium der Alten gewonnen, und Mittel und Wege zum schnellern und sichrern Fortschreiten, nicht nur in der Philologie, sondern in den Wissenschaften überhaupt, kennen gelernt zu haben. Ruhnken war nämlich, wie meine Leser es aus dem Obigen schon wissen, kein wortklaubender Pedant, der ohne Geist am blossen Buchstaben hängt, sondern ein Mann, der jenen auf diesen unablässig zurückführte, aber auch, wie er es in seinen Schriften bewiesen hat, ganz wohl wusste, was leider unsre jungen Sprecher nicht ahnen, nicht wahr haben wollen, dass der Geist nicht ohne den Buchstaben errungen werden könne.

»Selten indessen wurden diese Theestunden so ganz in aller Ruhe hingebracht. Bey weitem öfter vergrösserte sich unsre Gesellschaft durch Besuche, die aber, da sie meisstens nur Ruhnken's älteste Tochter galten, meine Unterhaltung mit ihm nicht eben unterbrachen. Nur wenn der Cirkel zuweilen zu gross, und die Unterhaltung in ihm zu rauschend ward, brach er mit mir, unter Zuflüsterung eines *Quando conveniunt*, auf, und so begaben wir uns in sein Arbeitszimmer, wo es zu meiner Freude dann noch weniger an Stoff zur belehrenden Unterhaltung

für mich fehlte. Selten studirte Ruhnken jetzt eigentlich des Abends, noch häufiger wohnte er den musicalischen Unterhaltungen seiner auf dem Clavier und in Gesange überaus geschickten ältesten Tochter, bis zum Abendessen bey, von dem er dann bey Zeiten wieder zur Ruhe ging. Seine Gattin nahm und konnte an nichts, nicht an den allerallträglichsten Hauseignissen einmal, Theil nehmen. Ihr Zustand war sehr bedauernswürdig; sie floh die Gegenwart anderer. Seine jüngste Tochter war blind, nicht durch einen Staar, oder den wirklichen Verlust ihrer Augen, sondern, so sagte man wenigstens allgemein, durch ein gewaltsames, in frühester Kindheit durch Verwahrlosung veranlasstes, zu starkes Hinaufziehen des Augensternes, den jetzt die Augenlieder bedeckten. Da sie jede Stelle des Hauses kannte und an der Gesellschaft auf mehrfache Art theilnahm; so merkte ein Unbekannter ihren Fehler nicht sogleich, den ihre Weiblichkeit den wie natürlich auch durch jenes nur mögliche Mittelchen zu verschleyern suchte."

P. 202. *In epistola, quam ad me solito longiorem scripsit d. 5 Januarii a.* 1791, *cet.*] Pro 1791, corrigatur 1790: vid. Ruhnkenii Epp. ad Wyttenb. p. 65. Quod Ruhnkenius hic scripsit: »Nec ulla alia re senem me fieri sentio, nisi pigritia in literis scribendis," idem de se fatetur Wyttenbachius in ep. ad Morellium a. 1808. Epist. Fasc. I. p. 124.

P. 203. *Filiae majoris morbo gravi sane et periculoso*] Scripsit hac de re mense Septembri 1790 Ruhnkenius Wyttenbachio p. 67: »Elisabetha ex gravi morbo, qui eam per duos menses lectulo affixam tenuit, hactenus recreata est, ut in cubiculo suo ambulare possit.". Wyttenbachium igitur in tempore indicando memoria fefellit.

Ibid. *Francisci Hemsterhusii*] Cujus opuscula philosophica, jampridem conjunctim a Janseno Parisiis edita a. 1792 et iterum 1809. denuo edidit S. van de Weyer, Lovanii 1825. ac postremum L. S. P. Meyboom, Leovardiae 1846—50. 3 voll. — Sed de eo satis omnia cognita sant, nec plura hic dicere attinet.

P. 204. *Quod supra dixi de adversariis patris — biblioth. Lugd. batavae.*] Huc pertinent, quae Wyttenbachio scripsit Ruhnkenius 23 Febr. 1791, p. 69: »Mss. Hemsterhusianorum melior pars in nostram Bibliothecam migravit. Plures tamen libri ejus manu notati venditioni expositi sunt, sive filii, sive heredum culpâ. Ex iis potiores pecunia vindicabo Bibliothecae publicae. Quod monere visum est, ne forte tu cum Boschio licitatorem apponatis." Cf. porro Geelii Praef. ad Anecdota Hemsterh. p. V et VI.

P. 205. *In priore officio Schellerus — aptari posse videretur.*] Omnino in Lexicis Latino-Belgicis multo minus nocent vocabula Latina posterioris aevi, quam in Lexicis sive Belgico-, sive Germanico-Latinis, ad Latine vertendum comparatis. Qua de re ad h.l. opportune annotavit Rinkius p. 230.

P. 207. *Schultensium cet.*] De quo viro, praeter ea quae annotavimus p. 476, omnino consulendus est ejusdem, quem saepius diximus, Fr. Th. Rinkii liber, Germanice scriptus: *Heinr. Alb. Schultens. Eine Skizze u. s. w. Riga*, 1794. in cujus Praefat. p. XVII, fatetur, se Schultensio et Ruhnkenio in primis debere, quod vitae suae annus XX felicissimus fuerit et ad doctrinae fructum uberrimus. Ac libri sui p. 31 Ruhnkenii Bibliothecae praefecti benevolentiam et amicitiam gratus praedicat.

P. 214. *Munus inexspectatum Fred. Aug. Wolfii, Homeri editionem ei publice dedicantis.*] Literis ad Ruhnkenium datis ad d. 9 Maji 1795, in quibus: »Denuo" inquit »ausus sum ad Te scribere, neque solum *scribere*, sed etiam *inscribere* lucubrationes meas in Homerum, multorum annorum opus, et cui expoliendo tantum diligentiae adhibui, quantum antea nulli. Verum et ipsa ratio criseos, tum litterariae tum historicae, cujus hic specimen dare volui, talis est, ut, nisi Te aut homines Tui simillimos, quos ubi inveniam plures nescio, nactus fuerim existimatores et arbitros, operae me meae prope poeniteat omnis. Quare, si quando Tibi aliquot hebdomadum otium fuerit, quod dubitationibus meis excutiendis impendere queas, hoc ei, qui Te unum omnibus Criticis longe praefert, qui Te insigniter colit et amat, hoc igitur mihi impertias velim, et, quo obscurissimas

quaestiones deduxisse Tibi videar, ex Te ipso cognoscam." Quibus literis quid responderit Ruhnkenius, constat cum ex fragmento Opusc. T. II. p. 911 allato, tum ex epistola ejus ad Wolfium d. 3 Augusti proximo inter Epp. ad Div. p. 89 sq.

P. 215. *Spaldingio, Wolfio*] Adde *Huschkio*, cui in primis favebat Santenius, tunc temporis Academiae Curator, dissentiente Ruhnkenio, cujus ad eum vid. epistola in Mahnii Supplem. p. 18 sq. ibique editoris annot. *Spaldingius* a Ruhnkenio invitatus ad accipiendam stationem Leidensem, conditionem recusavit literis ad eum datis d. 9 Aprilis 1796. De *Wolfii* vocatione ad Academiam Leidensem, interveniente Ruhnkenio, vid. W. Körte *Leben u. st. F. A. Wolfs*, Vol. I. p. 313—317. ipsius Wolfii ad Ruhnkenium literae ineditae intra d. 25 Martii et 18 Novembris in Collectione Luzac., Ruhnkenii ad Wolfium literae, Epp. ad Div. p. 91 sq. et Wyttenbachii ad eundem, Epp. Fasc. II. p. 23. adhibita Mahnii annot. p. 103—107.

P. 219—222. *Tota Ernesti, quamvis egregia, doctrina — in principibus laudatarum Praefationum censendae.*] Omisit Rinkius in contextu, Latina retulit p. 300—303.

P. 219. *Animadversiones de mutuis Bruti et Ciceronis Epistolis, et ejusdem aliquot Orationibus*] Wyttenbachii ad h. l. annotationi subjecit Frotscherus: »De Epistolis adsensus est etiam Ruhnkenius Praef. ad Schelleri Lex. Latino-Belgicum pag. III, et nunc plerique omnes jure assentiuntur: Orationes, de quibus cf. Beckius in Opp. Cic. Vol. IV. pag. 612 sqq. coll. pag. IX, sat idoneis argumentis nuper vindicasse et Ciceroni restituisse videtur Klotzius in ed. Oratt. Cic. Vol. III." Cf. quae Eichstädtio scripsit Wyttenbachius Epp. Fasc. II. p. 11. ibique Mahnii annotatio p. 102.

P. 226. *Hanc facultatem quum perfecte tenuerit Ruhnkenius cet.*] De Ruhnkenii Latine scribendi facultate Wyttenbachio testis accedat Auctor Gratulationis ad cives Academiae Lugduno-Batavae a. 1825, p. 6: »Nova quasi luce donarunt (Academiam Lugduno-Batavam) Hemsterhusius et *Ruhnkenius*, qui cetera sua in rem literariam merita etiam *bene Latine scri-*

bendi laude ita cumulavit, ut, cum antea versibus pangendis unice vel maxime certe operam darent docti homines, in scripticne autem et oratione soluta magis difficultatis et obscuritatis quam perspicuitatis et elegantiae studiosi invenirentur, *Ruhnkenius* nativum orationis latinae colorem jamdiu obliteratum unus revocaret, et cum praeceptis tum exemplo ipse suo bene scribendi viam praeiret." Ruhnkenium Latine scribere solitum non fuisse, nisi adhibito Gesneri Thesauro, quem quotiescunque de alicujus vocabuli auctoritate et usu dubitabat consuleret, sibi aliquando in familiari colloquio retulisse, auctor est Aug. Matthiae in Miscellaneis (*Vermischte Schriften*, Altenb. 1842.) p. 179 sq. loco lectu sane digno, sed longiore quam ut hic apponatur. Cf. porro Luc. Mülleri Historia Philologiae saepius laudata, p. 31 sq.

P. 232. *Privatim multos juvit, sive praesentes sermone, sive absentes epistolis.*] His, praeter eos, quos ipse Wyttenbachius nominavit, et nos cum in Praefat. ad Opusc. Ruhnken. p. LI sqq. tum in Annot. ad h. l. p. 484—487 diximus, nunc accedant alii nonnulli, de quibus postea demum nobis innotuit.

Ac primum quidem *Goensius* ille, de quo ad Elogium Hemsterhusii diximus, cui Porphyrii *de Antro Nympharum* editionem paranti auxilia praestitit Ruhnkenius, ut in Praefat. gratus agnovit. »Quantum" inquit p. XXVII »Porphyrius meus accuratae eruditioni cel. *Dav. Ruhnkenii* debeat, ex Variis Lectionibus Lector cognoscet. Admiratus in hoc viro, ex quo ipsi innotescere contigit, imaginem fui ingenii Hemsterhusiani. Cum enim omnia habeat, quae consummatissimum Critices cultorem constituunt: ingenium acre, perspicax, subtile, animum in devorandis laboribus, etiam molestissimis, mire constantem: denum accuratissima rerum scientia universum literarum studium complexus sit: praeclarissimis his naturae dotibus singularem morum suavitatem junxit; adeo, ut solus sufficiat, ad vulgarem illam calumniam depellendam, qua ingenium Critici et Literatoris in universum difficile ac morosum habetur. Praeter ejus *emendationes*, quae plerumque *certae*, semper *cultae* sunt et *ingeniose*

excogitatae, et quibus, velut totidem gemmis, nostra haec editio distincta est: est." Cf. porro quae scripsit p. XXXIII.

Succedat *Everw. Wassenberghius*, Franequeranae Academiae alumnus, qui juvenis Lugduno-Batavam petiit, cum Valckenarii denuo, tum et Ruhnkenii audiendi causa; qui perspecto mox ingenio eum facile in amicitiam recepit, eique duos priores Iliadis libros edere paranti suppeditandis Scholiorum excerptis aliisque nominibus profuit. Vid. Cramii Narratio de Ev. Wassenberghio p. 9, et ipse Wassenb. in Praefat. p. 1, 3, 8, alibi.

Tertio loco nominetur *Schellerus*, Lexico suo Latino satis cognitus, qui in Praefat. ad Compend. Stili Latini, Lips. 1780, Praecepta sua antea in lucem emissa eruditis non displicuisse fassus, »In quibus" inquit »praecipue nominandus est Cel. *Dav. Ruhnkenius*, Leidensis Academiae decus, Vir ad literas adjuvandas natus, qui in literis ad me datis praeter alia benevolentiae signa suis animadversionibus in mea *Praecepta Stili* me donandum putavit, quibus ad expolienda haec non sine grato animo usus sum."

Schellero jungatur *Jo. Gottl. Schneiderus*, item Germanus, Scriptorum Rei rusticae veterum Latinorum post alios editor anno 1794, qui Ruhnkenii humanitati et liberalitati acceptas retulit copias Gronovianas, Praefat. p. VIII—X. Huc pertinent literae ad Schneiderum datae mense Septembri 1792, Epp. ad Div. p. 87.

Compendii Historiae fabulosae, a Dammio Germanice conscripto, eodem anno Latinus interpres *C. F. Nagel*, in commendationem hujus libelli, Praefat. p. VII affert »auctoritatem Cl. Ruhnkenii, quo suasore et impulsore, libelli, quem vir summus sibi valde probari diceret, Latinam versionem, quae juvenum his literis erudiendorum usibus inserviret" se confecisse ait. Eidem Nagelio quominus ad novam Compendii Antiquitatum Romanarum Nieuwportiani auxilium suum praestaret Ruhnkenius, mors intercessit. Liber prodiit Lugduni Batav. a. 1802.

Vir Consult. *H. M. Karsseboom*, et ipse quondam Ruhnkenii discipulus, auctor Dissertationis inaug. de Legibus summa prudentia statuendis, Lugd. Batav. 1797, in Cap. III, *de Romanorum*

prudentia in Legibus condendis, elaboratione fatetur, »si quid in ea re polleat, id deberi Clariss. ac celeberrimo Viro D. Ruhnkenio, quem inter praeceptores suos numerare licitum sibi fuisse publice summo cum gaudio profitetur, Viro de studiis, de patria bene merito, a se ad rogum usque venerando, colendo."

Ruhnkenii ad Alciphronis epistolas observationes, cum Herelio olim communicatas, huic se debere scribit ad Alciphronem a se editum, Lipsiae 1798, *J. A. Wagner*, Praefat. p. XI sq.

De *Ruardio*, quod scripsimus p. 485, *Synonyma Ciceroniana*, quae feruntur, auctore Ruhnkenio, cujus ad ipsum epistolas protulit Mahnius, Epp. ad Div. p. 150—154, edituro, neque ipse, neque post eum Peerlkampius, cujus vid. Praef. ad Xenoph. Ephes. p. LIX, rem perfecit. Sed libellum hunc rarissimum secundum editiones Romanas et Parisinam denuo publicae luci restituit Mahnius Lugd. Bat. a. 1850, 51; de qua editione diximus in Nuncio Artium et Literarum (*Algem. Konst- en Letterb.* 1851, N°. 45 et 46).

Discipulo suo *Steenbergen van Goor*, *Anacharsidis* a Barthelemio conscripti admiratione capto, ex Ruhnkenio quaerenti, exstaretne in aliqua recentiore lingua simile quoddam ejusdem generis ac formae opus Romanorum rebus et institutis illustrandis inserviens, respondit Ruhnkenius: »in eo, qui tali operi condendo par esse vellet, non tantum interiorem requiri antiquitatis scientiam, ita ut vitae veluti tabernaculum inter veteres sibi collocatum haberet, verum etiam facultatem doctrinae suae tam exquisita formae elegantia tantaque facilitate ac suavitate, quanta in Barthelemio fuissent, ad popularem captum tradendae et exponendae: eas autem omnes dotes non facile in uno homine conjunctas reperiri." Unde factum videtur, ut ille diu postea Kuffneri *Artemidorum* civibus suis ipsorum lingua legendum offerret, in cujus operis praefatione Ruhnkenii illud dictum retulit [1]). Qui quidem Artemidorus an aliquo modo Anacharsidi aequiparari queat,

[1]) *Artemidorus in het Romeinsche Rijk, door* C. Kuffner, *uit het Hoogd. vertaald enz. door* Steenbergen van Goor. *Leeuward.* 1825. Dl. I. Voorrede, bl. XXVII.

nunc non statuimus: sed notissimi sunt ex eo genere libri, Böttigeri *Sabina*, Bekkeri *Gallus*, cet.

P. 233. *Fuerunt vero etiam, quibus numquam responderet, cet.*] In his fuit Reiskius, quem non valde amabat Ruhnkenius, neque Ruhnkenium Reiskius. Ad Bernardum, medicum literatum, amicum, quocum frequens ei fuit literarum commercium, scripsit aliquando: »Quantum ad Ruhnkenium, non multum mihi promitto de ipsius Callimacheis. Est *homo ventosus*, quale hominum genus mihi intolerabile." (Mnemos. Vol. I. p. 346, N°. XVII) Neque de ejus Epistola Critica ad Valckenarium satis honorifice sensit, *novum morem panegyricos viventibus scribendi* carpens. (Ibid. p. 347, N°. XXI.) Et in Vita sua, Germanice conscripta ac post mortem ab uxore edita, alienum a Ruhnkenii indole animum sibi fuisse significavit. Vicissim, quum a Reiskio, ne rogato quidem, haud contemnenda Phoenissis Euripideis edendis subsidia accepisset Valckenarius, idque Ruhnkenio significasset, respondit Ruhnkenius: »Quod ultimis literis tuis de Reiskio narras, nobis et nova et inexspectata acciderunt. Mallet tamen Hemsterhusius noster te omni cum homine commercio abstinere. Nam qui nunc ad te literas dat demisse et humiliter scriptas, brevi te, qui ejus mos est, publice vexabit et calumniis petet. Scripsit etiam ad me epistolam, si verba spectes, humanissimam. Sed nihil responsi tulit; nec quicquam mihi notitiae cum *perfidâ bestiâ* esse volo." Regessit Valckenarius: »De Reiskio quid adeo scribere potuerim, nunc non commemini. Sed illud novi, quae tu scribis, mihi accidisse mirifica. Priusquam quidquam a me literarum accepisset, dono mittit Constantinum. Nonne postulabat humanitas, ut homini grates agerem? Sponte sua offert et mittit nondum rogatus Scholiorum in Euripidem exemplar Hervagianum, ex Cod. Augustano ab homine quondam doctissimo emendatorum et insignibus augmentis ditatorum: ne tibi quidem ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα videbuntur ubi cognoveris, quot nova Codex ille August. complectatur. Cet." (Epp. mut. p. 75, 81, 85 sq.) Neque adeo malus homo aut ab officio praestando alienus erat Reiskius. Ediderat olim *Animadversiones*

ad Sophoclem, Lipsiae 1753. Quum comperisset hanc libellum a Ruhnkenio frustra quaeri, ultro mittit ejus exemplar, adjectis literis, quarum autographum cum ipso libello in Bibliotheca Lugduno-Batava inter Ruhnkeniana servatur, quaeque ita se habent:

VIRO CELEBERRIMO RUHNKENIO,

S. P. D.

J. J. REISKE.

Luchtmannus, amicus noster, cum certiorem me fecisset, a Te, Vir Celeberrime, libellum aliquem meum, multis ante annis editum, et dudum a me oblivioni datum, desiderari, indignum profecto Tuisque et literatorum omnium oculis, frivolas quippe et paene pueriles quasdam ad Sophoclem conjecturas tenentem, non potui quidem facere, quin eum ad Te mitterem, qui me nuper gemino donasses cultissimi tui ingenii monumento, Rutilio Lupo et Elogio Hemsterhusiano, pro quo egregio munere gratias Tibi habeo agoque maximas: vehementer tamen vereor, ne judicii Tui acumen conatus ille juvenilis minus ferat, cujus ipsum memet nunc pudet pigetque. Scatet enim mendis turpissimis creberrimisque, id quod nuper deprehendi, Sophoclem iterum, post annum ferme vigesimum relegens. Quare abs Te peto atque contendo, ut cum Schediasma hoc mei erga Te studii monumentum benignus accipies servabisque, tum sedulo caveas ex eo quicquam proferre publice, quod existimationem meam minuere posse videatur. Ipsemet enim ego nunc totum illud opusculum damno et nunquam proditum mallem; quanquam percommode accidit, ut paene nemini innotuerit, cum exemplaria perpauca, centum omnino, fuerint excusa: quo factum est ut ex oculis et memoria hominum plane disparuerit; tanto melius. Non superest quidem exemplum aliud praeter hoc, quod Tibi mitto. Sed eo facile careo. Sunt aliae schedae ad Sophoclem, superiori mense Martio a me conscriptae, multo editis emendatiores. Rutilii Tui placent omnia, sed in primis placet Historia critica oratorum graecorum, qua saepius utar in corpore, in quo condendo nunc laboro dubio cum successu. Quam Theocrito navavi operam, ea fuit admo-

ties usus est Wyttenbachius; de qua vid. Beier. ad Cic. de Off. I, 7, 20. p. 46. Notavit Frotsch. qui dedit *beneficentiam.*

P. 262. *Adolescens Wittebergae creatus erat Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister: — Fr. Godofr. Aug. Meerheim, V. Cl.*] Literae a Wyttenbachio significatae, in Collectione Luzaciana, una cum Programmatis sive Diplomatis academici, formâ maximâ in plano typis exarati, exemplo servatae, sic se habent:

Viro Excellentissimo ac summopere venerando
DAVID RUHNKENIO
Histor. atque Eloquent. in celeb. Lugdunensi Academia P. P. O.
S. P. D.
GODOFREDUS AUGUSTUS MEERHEIM
Poeseos in Acad. Vitebergensi P. P. O.
Ordinisque Philos. h. t. Decanus.

Dici non potest, quanta perfusus sim laetitia, cum versanti mihi nuper Academiae nostrae ac praesertim Ordinis Philosophici monumenta a dimidio inde saeculo collecta, incideret in oculos nomen Tuum, Vir summa observantia colende, clarissimum, non modo inter eos, qui hac civitate nostra aliquando usi sunt, verum etiam in Indice Doctorum Philosophiae ac Magistrorum Art. LL. ante hos quinquaginta annos, anno nimirum CIↃIↃCCXLIII creatorum. Nec parum voluptatis accessit, postquam certior factus sum, Te eodem tempore disputatione de Galla Placidia sub auspiciis b. Ritteri habita, Tibi jura cathedrae aperuisse, et egregium hunc virum in primis secutum esse, quem ego quoque praeceptorem ducemque unice fere colui, de qua tecum conjunctione paullulum mihi gloriari liceat. His religionibus commotus memoriam nominis Tui, et antiquae nobiscum consuetudinis, honorificam Academiae nostrae gratissimamque mihi pie recolere jus fasque putavi, idque cum in solemni Panegyri a. d. XVII Octobr. publice oratione habita plaudentibus omnibus peregi, tum his litteris tabulisque Tibi, Vir venerande, testatum facere volui. Quae res, quamvis levis momenti famae Tuae incrementum addere nequit, piae tamen grataeque mentis documentum ut aequo animo accipias enixe rogo.

Gratulor vero Tibi senectutem tam florentem virentemque, optoque ex animo, ut diu adhuc intersis reipubl. litterariae. Caeterum Academiae nostrae fave, meque in commendatissimis Tibi habeas quaeso. Scr. Vitebergae a. d. XXIV Octobr. 1793.

Praeter hanc Doctoratus Academici quinquagesimo deinde anno renovatam memoriam, Ruhnkenio identidem honores obtigerunt varii generis cum publice tum privatim. De Academiae Inscriptionum et elegantiorum Literarum Parisiensis cum Ruhnkenio literarum commercio supra vidimus p. 27 sqq. Recens constitutae Societati Literis Neerlandicis excolendis Leidensi mox inde ab initio a. 1766 eum socium fuisse adscriptum, diximus in Addendis et Emend. ad Opusc. T. II. p. 1014.

Neque minus privatim a compluribus viris doctis tam exteris quam patriis, vel etiam a discipulis grati animi sensu ductis, honores ei habiti sunt, aut librorum ab ipsis conscriptorum sive dono sive honorifica inscriptione, aut alia quacunque ratione. Wyttenbachius ipse tirocinium suum Epistolae criticae in Julianum aliosque scriptores Ruhnkenii nomini inscripsit anno 1769, ut retulit p. 151. *Amoenitates* suas *literarias* Jac. Phil. a Medenbach Wakker, Jctus, Trajecti ad Rhen. a. 1770, Ruhnkenio praeceptori dicavit carmine elegiaco, ut relatum legimus p. 160.

Descriptionis Tabulae hospitalis Romae repertae, Italica lingua scriptae [1]), exemplari ipsi oblato inscripsit manu sua auctor:

Davidi Ruhnkenio Viro celeberrimo
Graecis Romanis amoenioribusque Litteris consultissimo
Editis operibus clarissimo
Fide Probitate amicitia singulari amico optimo
Joseph Spalletti Pagillas hasce D. D. D.

Elegiam suam ad Leidam, cum aliis carminibus, Lugduni Batav. editam a. 1786, Vopiscus Hor. Acker dicavit *Viro Cl. erud.*

---

[1]) *Dichiarazione di una Tavola Ospitale, ritrovata in Roma sopra il monte Aventino. Rom.* 1777. 4°. Exstat liber inter libros Ruhnken. in Bibliotheca Acad. Lugd. Bat.

D. Ruhnkenio, Hist. et Eloq. in Academia Lugduno Batava Professori inclytissimo, Elegantioris doctrinae arbitro primario, peritissimo, praeceptori suo ad rogos colendo, venerando.

Paulo post anno circiter 1790 *Viro Clarissimo Davidi Ruhnkenio* Commentarium de vita et scriptis Hieronymi Balbi, Episc. Gurcensis, *gratitudinis et observantiae ergo*, D. D. D., *Josephus à Retzer* I. R. I. E. — Cf. Ruhnkenii ad Retzerum, Operum Balbi editorem, literae, Opusc. T. II. p. 905.

Bocchi Slothouwer, Jcti et Rectoris Doccumani, *Eucharisticon Literatorum principi Davidi Ruhnkenio pro donatis Marci Antonii Mureti vere aureis operibus*, Doccumi d. XXVII Maji 1794, typis impressum exstat carmen elegiacum 16 paginarum.

Homerum suum cum Prolegomenis Homericis Fred. Aug. Wolfium a. 1795 publice dedicavisse *Ruhnkenio Criticorum principi*, probat ipsa in fronte libri posita inscriptio, et significavit Wyttenbachius p. 214. Cf. supra p. 55.

P. 265. »*Me adhuc exercet — quam ad rem faciendam.*"] Ex Ruhnkenii Ep. ad Wyttenb. p. 72.

P. 274. *Scripsit ad me* (*d.* 23 *Martii*, 1798): »*Animi hilaritas — medeatur.*"] Ex Ruhnkenii Ep. ad Wyttenb. p. 86.

P. 275. *Legendam ei dedi praefationem ad Animadversiones Plutarcheas, cet.*] Cf. ad h. l. Ruhnkenii ad Wyttenbachium Epp. p. 75, 77, 80.

P. 279. *Die decimo quarto Maji, hora vespertina decima, exspiravit*] Imo die *decimo tertio*, errore inde orto, ut videtur, quod literae Wyttenbachio viri obitum nunciantes datae fuerint postridie 14 Maji. Res certo constat ex nuncio de mariti obitu ab ipsius vidua publice dato in Diario Leidensi [1]). Consentit

---

[1]) *Leydse Courant van Woensdag* 16 *Mey* 1798, *bl.* 2, *kol.* 2.

*** Gister avond overleed tot myne smerte, myn geliefde Echtgenoot David Ruhnkenius, in leeven Hoogleeraar in de Historien en Welspreekendheid, en Bibliothecaris aan deze Universiteit, in den ouderdom van 75 jaaren. Zy die de waarde van dezen voortreffelyken Man zo met betrekking tot zyne Famille als deze Hooge School kennen, zyn best in

Nuncius vernaculus Artium et Literarum [1]). Ac Te-Waterus in Narratione de Rebus Academiae Lugduno-Batavae seculo XVIII, diserte scripsit: »Diem supremum obiit d. 13 Maji 1798." vid. Series Profess. N°. LVII. p. 146. Perperam Siegenbeekius in Hist. Acad. T. II, N°. CCI. p. 208, diem 12 indicavit.

P. 279. *Quod de Gorgia fertur, eum frater fratri, somnus morti tradere*] Iis quae in annot. p. 494 attulimus, addatur Gesneri Biogr. acad. ed. Eyringio, Vol. II. p. 299.

AUCTARIUM OPUSCULORUM ET EPISTOLARUM RUHNKENII ET VALCKENARII.

Hic finem facimus horum Supplementorum. Verum antequam a Vita Ruhnkenii discedamus, haud abs re erit nonnulla, quae supersunt a Ruhnkenii manu profecta, partim edita, partim inedita, subjicere. Vere enim Wyttenbachius: »Interest" inquit »Literarum, interest studii elegantiarum et stili Latini, ne unam quidem sententiam, accurate conscriptam, intercidere illius omnibus laudati viri, qui inde a renatis bonis studiis unus in paucis eleganter scribendi facultate excelluit." Biblioth. Crit. P. XI. p. 156.

Initium facimus ab Epistolis quibusdam Ruhnkenii et Valckenarii mutuis nondum editis, in hujus commercio epistolico repertis, quae neque ad Wyttenbachii neque ad Mahnii notitiam pervenisse videntur et quibus fasciculus a Mahnio editus suppleri debet. Earum prima responsum exhibet Valckenarii ad Ruhnkenii epistolam d. 18 Febr. 1748, Epp. mut. p. 1—9.

---

staat om te beoordeelen hoe zwaar dit verlies in 't byzonder my en myne twee Dochters vallen moet. Om deze reden verzoek ik geene Brieven van Rouwbeklag te zenden.

Leyden den 14 Mey 1798. — Marianne Hekkmans, Wed. Ruhnkenius.

[1]) *Nieuwe Algem. Konst- en Letterbode, Vrijd.* 25 *Mey* 1798, *bl.* 162, *a:* »Leyden, *den* 13 *Mey.* Heden is alhier, in den ouderdom van 75 jaren, overleden, David Ruhnkenius, in deszelfs leven Hoogleeraar in de Geschiedenis en Welsprekendheid, als mede Bibliothecaris der Universiteit alhier."

ORNATISSIMO DAVIDI RUHNKENIO

S. P. D.

L. C. VALCKENAER.

Nae Tu flos juvenum es elegantiorum, mi Ruhnkeni. Tum demum juvat literas caste tractasse, ubi hujus generis adolescentes viros video. Quanto opere me ceperint humanitas tua, doctrina atque ingenii celeritas, hinc aestimabis, quod, qui sum in rescribendi officio paulo quam oportebat segnior, ad eas tamen literas multo elegantissimas, quibus me nuper beasti, paucis tantum diebus intermissis, respondeam. De Harmenopulo nihil est quod mihi propterea grates agas. Si quid inde ceperas emolumenti, id omne referes acceptum Coulonio, quem laudare poteris ut Jctum et eruditum, quod in Typographis, hoc quidem seculo, instar est prodigii. De Harmenopulo Tuo omnia mihi magna polliceor: tantam Tu literis ad me datis excitasti exspectationem, ut summa cum cura et lenta Tibi sit in eo opere festinandum, si volueris eam implere. De Callimacho mea quidem opinione judicium Tuum est sincerum et egregium. Si versum h. in Apoll. 44 spurium esse, et versum 71 h. in Cer. *Τόσσα* etc. spurios videri significasses, nihil amplius praeterea; tantillo, si quis ita velit, indicio motus ego Te in eorum classem transscripsissem, qui veri nominis sint *Κριτικοί*. De alterius versiculi 43 h. in Apoll. correctione Scaligerana ad Propert. p. 173 quid censes? mihi vera videbatur:

Κεῖνος ὀϊζυστὺν ἔλαχεν ῥέα, κεῖνος ἀοιδὴν,

quod enim editum *Φοῖβος* memoriae vitium est. Scripsit autem et recte *ὀϊζυστύν*. Sic Noster in Dian. v. 195 *διωκτύν* posuit, Del. v. 324 *γελαστὺν*, Apoll. v. 95 *ἁρπακτύος*. Scin' quis putidi versus 44 sit auctor? idem ille qui nobis in eodem hymno peperit v. 64.

Ὧδ' ἔμαθεν τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἐγείρειν.

Potuit autem lector non peritissimus in margine olim posuisse *πῶς φοῖβος ἔμαθε θεμέλια ἐγείρειν*; — *ἐὔπτερον* acute excogitatum est et prorsus venustum; *οἰέτεας* ipsa est veritas. Paulo infra istum locum h. in Dian. v. 28, ubi pro *Μέχρις*

posueris *Λέχρις*, miram, ni fallor, elegantiam conciliabis. Inspice lubenter Callimacheis utentem Apollon. I. 1235: *Λέχρις ἐπιχρειμφθεὶς*, tum vide mihi puellam Jovis barbam tenellis manibus, quantum poterant extensis, apprehendere nitentem *λέχρις, ἵνα ψαύσειε*. In h. in Del. v. 125 primum leviter Tibi reluctabar; tandem tamen et hic coëgisti me ad adsensum. A Te moniti legemus in posterum *Δασπλὴς ἠπείλησεν*. In ejusdem h. v. 176 libenter cognoscam quid Tu ponendum judicaveris; mihi, fatebor enim, *βουκολέονται* videbatur positum eo sensu quo Lucretius et Virgilius accepere. Sed in eadem pagina locus est, quem videbis rectene refecerim an secus, v. 179 hac ratione legendo: — *ἴδῃσι δὲ πίονα καρπὸν*

Γηπόνος αἰθόμενον, καὶ οὐκέτι μοῦνον ἀκούῃ.

Recte vero fecisti, Doctissime Ruhnkeni, quod viros summos sequutus ingenium exercueris in Hesychio, quem cotem ingeniorum appellare solet ille noster Hemsterhusius: hic eodem circiter tempore rectam viam ad librum expurgandum institit, quo Bentlejus; eamdem ab Hemsterhusio amico monstratam postea Kusterus est ingressus. De Joanne Taylor, quem ego facio maximi, prorsus acciderunt inexspectata, quae scribis. Fac, obsecro Te, ut istum calculum, si fieri pote, reducas; aut scribe ea de re paulo diligentius, ut ego, minime credulus, cognoscam qua fide res ista ad Te fuerit perlata. Diatriben Kusteri non pervenisse ad praestantissimi Tayloris manus mihi plane persuaseram; nimis enim supra plebem videbatur eminere, quam ut tam illiberale facinus ipsi possit sine certis documentis imputari. Sed quandoquidem ita jubes, libere dicam quid de Tuis illis Hesychianis correctionibus luculentis et egregiis videatur. Plurimae earum mea certe sententia certum praeferunt veritatis colorem, qualia: *Καρυμνὸν, μέλαν*. In schedis meis posueram forte legendum *Κραμβὸν*, verum hoc superius si reposueris pro *Θραμβὸν*, tum hoc in loco Tuam ego conjecturam lubens amplectar *Κάρυμνὸν*, aut si malueris *Κάρεμνὸν*, sic tamen arbitror, mi Ruhnkeni, potuisse ista duo nonnullis in locis a Poëta permutari, quamvis origine diversa fluxerint.

Quod scribis in hac parte epistolae de Nobiliss. Meermanno, vix credas quantum mihi attulerit gaudii; si uteris illo amico, politissimum juvenem meo nomine salutabis officiosissime. Is ubi perrexerit gnaviter in ea via, qua coeperat, inter illustrissima Batavorum ingenia numerabitur. Reliqua etiam nova literaria mihi gratissima acciderunt, illud praesertim de Dione. Sed redeo Tecum ad Hesychium.

Κατέσπασε, κατέπιεν. Utrumque deglutiendi ac devorandi significatu frequentatum a Comicis, hoc quidem frequentissime, ut Casaubonus et Berglerus monuere; illud multo rarius. Antiphanes apud Athenaeum III. p. 104 A.

— *ὅταν τὴν ἔνθεσιν*
Ἐντὸς ἤδη τῶν ὀδόντων τυγχάνῃ κατεσπακώς.

Neutrum, quod pace tua dictum sit, putem de lactentibus potuisse poni. Graecum non est quod legitur in ridiculo versu, qui inter Callimacheos huc usque sedem, qua erat indignissimus, occupavit h. in Cerer. v. 96.

Χὡ μαζὸς τὸν ἔπινε, καὶ αἱ δεκα πολλάκι δῶλαι.

ad quem confodiendum plurima tela vibrarem, nisi Tua mihi judicandi virtus esset cognita.

Καμμηνύειν verissimum est. *Ἄμμος* pro *Λίημος*, *Ἄωρον* pro *Λωρὸν*, *Ἀΐξαντα* pro *Λίξ.* sed hoc praecepit Kusterus Diatr. p. 44. *Λίνα*, *δίκτυα*, eximium est.

Κρίνα recte judicas, et ad *Λασκάζει. Λασκαρεῖ. Λίγξαντα. Λιαρὸν.*

Κυλλαίνει, *θυμαίνει.* Optionem Tibi do; quod elegeris et mihi probabitur, utrum Tuum solerter excogitatum *Σκυδμαίνει*, an, quod ego correxeram, *Κυμαίνει.* Ipsum illud *Κυμαίνει*, sed sensu diverso, reperies in Eratosthenis epigr. quod inter Callimachea vulgarant, et apud Platonem Phaed. p. 112 B, qui pro *θυμαίνει* adhibuit, ira vel odio aestuare L. XI de LL. p. 930 A. In Aesch. Theb. 449 Capaneus *γεγωνᾷ Ζηνὶ κυμαίνοντ' ἔπη.*

Λατάγῃ, κροτάλῳ, τῷ ἀποῤῥιπτομένῳ ἀπὸ τῶν ποτηρίων. Hic non memineras Callimachi *Σικελὰς ἐκ κυλίκων λατάγας* in fragm. Bentl. CII. decerpto e numerosi vatis elegia, cui nomen fecerat Cydippe. *λατάγων* Critias etiam in Elegia meminerat, teste

Athen. XV. p. 666 B. Combibonantium veterum lusus Κοττα-βισμός Tibi non potest esse ignotus, de quo quaecunque tradit Schol. Arist. ad Pacem v. 1243, ex Athenaeo non nominato transscripsit, qui de Λατάγη multa notat Hesych. similia p. 666 C. L. XI. p. 479 F. Confer Epitomen apud Casaub. p. 782 v. 47. Propter ista Λατάγεῖ, ψοφεῖ omnino non sollicitaverim.

Λεδδά. Optime confers Λεάδα, sic etiam pro Λεδδά scribendum judicaverim. Λεάς idem mihi erat ac λισσάς, scopulus ventorum marisque appulsu laevigatus, a λέω et λίω, lere, linere: λισσάδος ἄκρης Apollonium IV, 956, et alios meminisse nosti. Fateberis etiam Λειράδα nimium a vulgata discedere et de montium jugis poni.

Λεκτοὶ Sophocleum est in Oed. Tyr. v. 18, ἡϊθέων Λεκτοὶ. Pertinet tamen Hesychii Λεκτοὶ ad alium locum, ubi memorabantur in carmine Catulli, omnium quae supersunt elegantissimo, LXIII, 4, dicti — *lecti juvenes Argivae robora pubis.* Quos de turmis legebat Imperator virtute ceteris praestantes, λεκτοὶ, saepius ἐκκριτοὶ dicebantur. Quando Callimacho delectaris, elegantem locum ex hymno in Jovem v. 70 videbo, an pristino nitori Tibi possim restituere. Pro Εἵλεο δ'αἰζηῶν corrige sodes mecum:

Εἵλεο δ'ἐξ ἰλῶν, ὅ τι φέρτατον —

Summus Imperator et ἰλάρχης Jupiter ex hominibus in turmas et classes dispositis quod erat praestantium, Reges elegit, quibus praeesset. ἴλη de quovis hominum globo ponitur Callim. in L. P. 33:

Ἔξιθ' Ἀθηναία, πάρα τοὶ κατάθυμος ἴλα,
Παρθενικαὶ μεγάλων παῖδες Ἀκεσορίδαν.

Inspice notata Spanhemio, qui in tota ista sua adnotationum utilissima farragine semel tantum vocum Callimachearum restituit. Hoc ubi feceris, corrige Ἀρεσορίδαν. Aresaridarum nobilis fuit Argis familia. Anonymus περὶ Ἀπίων cap. XV. Ἐν ᾧ Ἀρεσορος ἱερεύετο τῇ Ἥρᾳ. Sic Characis verba reflicenda sunt, quae perperam sua versione magis etiam perverterat Leo Allatius.

Δικαλίγγος. Proprio significata distantiam adhibent. Numenius in Halieut. ap. Athen. VII. p. 321 B. ubi Casaubon. p. 518 vertisse mea sententia glossam Hesychianam subdit translatam

esse a notione 1a quia capti piscis jactatio intra retia similis furori insanientium.

Λύχνον, τράχηλον. Suspicatus fueram hic jocum latere comicum, sed *Αἰγδινον* puellae *τράχηλον* Tibi non arbitror displiciturum.

. . . . . .

(Deesse videntur epistolae finis et subscriptio.)

Sequuntur duae Epistolae mutuae, editis inserendae intra pag. 62 et 63.

Viro Celeberrimo, amicoque carissimo,
L. C. VALCKENARIO
D. RUHNKENIUS S. P. D.

Dici vix potest, quantum gaudii capiam ex amicorum literis, quae Tibi pristinam valetudinem plane restitutam esse confirmant. Sane novis me igniculis ad literarum studia colenda excitari sentio, cum illum vigere atque valere audiam, cui, si a *τῷ πάνυ* discessero, uni omnium plurimum tribuo, cui denique me meaque omnia quam maxime probari cupio. Liceat ergo mihi ad pristinum nostrum literarum commercium redire, Teque sub ejus auspicium laetissimo nuncio beare. Sed res paulo altius est repetenda. Cum ad fontes Spadanos cum amicissimo Alberti haererem, in intimam perveni familiaritatem Viri Eruditissimi, et luculentis praediti fortunis, Henrici Gally, Regis Britanniarum Capellani et Theologiae Professoris. Hic inde Parisios iter capiens, qua erat incredibili humanitate, ex me quaerebat, num mihi opera sua in conferendis Regiis Codd. usui esse possit. Statim succurrebat toties expetitum Timaei Lexicon Platonicum, itemque aliud Glossarium, Regiorum omnium optimum et prisca eruditione refertum, cujus specimen dedit Montfauc. Bibl. Coisl. p. 481. Cum Parisios advenisset, nihil citius factum est, quam ut ipsi Clariss. Sallierius (cujus amicitiam mihi jam ante pararat Alberti noster) haec duo *κειμήλια* exscribenda daret. Ipse tamen Rev. Gally, aliis negotiis distentus, describendi negotium dedit Joanni Capperonierio, Graecae Linguae Professori, nepoti ejus qui Quinctilianum edidit. Et sane non poterat hoc committi alii ma-

gis idoneo. Nam tanta fide, accuratione et nitore omnia exscripsit, ut nihil supra addi posse videatur. Quod abunde patet ex collatis speciminibus Montfauconianis, quae prae nostro apographo mendosissima sunt, et lacunarum plena, adeo ut fere suspicer, Montfauconium ista Glossaria Monachis quibusdam indoctis describenda commisisse; v. c. pag. 484. ita exhibet Montfauconius: *ψυχρὸς ἄνθρωπος, ἀντὶ τοῦ ἔγραψεν. Κρατῖνος Ὥραις. Πλάτων Ποιη.* quod fraudi fuit viro praeclaro, A. Heringae Observat. p. 295. At quanto melius in Capperonerii Apographo: *ψυχρὸς ἄνθρωπος, ἀντὶ τοῦ δυσκίνητος.* Deinde nova glossa: *ψήφισμα ἔθηκεν, ἀντὶ τοῦ ἔγραψεν. Κρατῖνος Ὥραις. Πλάτων πολιτείαις.* Redux in Angliam officiosissimus Gally bina Glossaria mihi, una cum aliis libris in Anglia editis, dono misit. Neque hic substitit ejus liberalitas. Sed quicquid in posterum in Angliae Bibliothecis vel describi vel conferri velim, ejus sumtibus mihi curabitur. Nego, per omnem vitam me vidisse hominem magis humanum et ad literas juvandas proniorem. Timaei praestantiam satis nosti ex specimine Montfauconiano. Ex altero Glossario pauciora nobis impertivit vir egregius. Scias vero, illo mille amplius glossas contineri; quibus tot nova et recondita traduntur, ut praeter Harpocrationem et Hesychium non sit in hoc genere liber, qui, Hemsterhusio judice, cum Glossario nostro conferri possit. In singulis paene glossis laudantur Auctores deperditi, Comici in primis, Anaxandrides, Cantharus, Eupolis, Timostratus, Diphilus, Philippides, Araros, Menander, Antiphanes, Nicophon, Metagenes, Alexis, Hermippus, Alcaeus, Cratinus, Diocles, Nicocharis, et decem circiter praeter hos alii. Multorum Dramatum nomina nunc primum innotescunt. Pleraeque glossae breviores sunt: quod cum Hemsterhusio certissimum Antiquitatis signum puto. Adjiciam his in gratiam tuam, quae ex Tragicorum principe affert [1]).

. . . . . .

[1]) Haec supprimenda censuimus, quippe postea denuo cum Brunckio communicata et Sophocli adhibita: vid. Ruhnkenii Ep. ad Wyttenb. a. 1784, p. 43 sq. et Wyttenbachii Biblioth. crit. P. IX. p. 110.

Haec ex Sophocle. Et Timaeum et Glossarium alterum cum notis meis edam. Quod forte insequenti aestate efficere licebit. Nunc enim me totum sibi vindicat Graecus Jctus, Thalelaeus, cujus tamen majorem partem jam absolvi, et propediem prelo tradam, flagitantibus passim amicis. Interea ad nos perferetur Phrynichi Sophisticus Apparatus, quem superioribus adjungere non alienum fuerit. Nam Stoeberus ille Argentoratensis omnem Grammaticorum edendorum curam abjecit. Epistola critica altera fere ad prelum parata est. Delibero adhuc utrum ea occasione Orbilio Amstelodamensi par pari referam, qui me quoque in vasto isto et futili plerumque ad Charitonem commentario oblique tetigit, an silentio hominem et contemtu transmittam. Sed a Te, mi Valckenari, haud impune debet abire impudentis oris sycophanta. In hanc virulentam bestiam arma omnia convertenda. Avide exspecto Nova Acta Eruditorum, in quibus Bachius, Jctus Lipsiensis Graece eruditus, de libello meo sententiam dixisse fertur. Ernesti, Germaniae suae Tullius, pro transmissa Oratione maximas Tibi gratias egit, mittens tanquam ἀντίδωρον orationem quandam suam, quam alicui in Frisiam ad vos profecturo committam. Equidem nunc Leidae versor cum illustri juvene, Nicolao Dierkens, cujus studia moderor. Domicilium est in vico dicto *de Papegraft*. Salutant te Hemsterhusius et Alberti, qui in dies ita convalescit, ut non sit dubitandum, quin pristinam valetudinem prorsus sit recuperaturus. Salvebis item a Lennepio, occupatissimo illo quidem in Numismatis ordinandis, sed tamen saepius ad Graecas Musas invisenti. Phalaridem egregie emendat. Sed Anglica lingua discenda erat, ut nobis Bentlejana vertere posset. Meo nomine, nisi grave est, salutabis eximios viros, Venemam et Schraderum. Vale, Valckenari, decus nostrum et amor, nobisque fave. Dab. Leidae, d. 5 Decemb. 1750.

VIRO HUMANISS. ATQUE ERUD. D. RUHNKENIO

S. P. D. L. C. V.

Et reliqua, quae nuncias laetissima, magnum mihi gaudium pepererunt, sed illud inprimis jucundum accidit, quod scribis

Hemsterhusium nostrum valere, et Albertium in dies ita convalescere, ut brevi pristinam videatur valetudinem recuperaturus. Ego etiam, diutissime cum morbi dirissimi reliquiis conflictatus, nunc tandem valeo, quique per octo paene menses a libris abstinueram ad literas retractandas nuper admodum atque adeo paulo ante redii, quam literae Tuae elegantiarum plenae commodum ad me deferebantur. Bene sit Anglo Theologo, cujus humanitate praestantissimum illud Glossarium adeptus es et Timaei Lexicon: eosdem duo libellos jam ante quadriennium clarissimo Kochero designaveram, qui mihi fratris tum Parisios proficiscentis operam obtulerat: sed ab eo usque tempore nihil ab eo literarum accepi. Ego vero, mi Ruhnkeni, thesaurum in Tuas manus incidisse, laetor quam qui maxime. Apud idoneos harum rerum judices summam Tibi laudem conciliabis, ubi Glossarium, Timaeum, et Phrynichi Sophisticum Apparatum ab interitu vindicaveris; atque adeo Te hortor, ut institutum urgeas, sed postquam edito prius Thalelaeo, cujus videndi magnum me tenet desiderium, aliisve quae habes parata, famam Jcti, rebus Tuis magis profuturam fueris adeptus. Nihil quidpiam in hoc genere literarum Coisliniana complectitur Bibliotheca, quod ad Glossarium tuum possit comparari: quin reliqua ibidem e Grammaticis vulgata talia sunt, quibus sine detrimento careremus, aliunde pleraque notissima, multa quoque mendose vulgata, quod eo minus miror, quia hanc partem literarum Montfauconius minime habebat perspectam. In Origenis Hexaplis, quae vocantur, credi vix potest quot quantaque vir summus peccata commiserit; qui quinquaginta minime voces mendosas in Lexicon illis subjectum retulit. Exemplo sit error lepidus, quem erravit in Diario Italico p. 75, ubi nobis nomen urbis Cretae *Ἱεραπύτνη* in *sacram pugnam* convertit, vulgavit scilicet in antiquissima inscriptione *ἐπραχθη ἐν ΙΕΡΑ ΠΥΓΝΗ.* In eodem monumento poni potuerat *βουλῆς πρείγιστος*, sic enim *πρέσβιστος* Senatus Princeps in nonnullis Cretae civitatibus dicebatur: *τὰ πρεσβεῖα* sive *πρεσβήϊα* vocantur *πρειγήϊα* in Foedere inter Hierapytnenses et Prianses v. 29 ap. Pricaeum ad Apul. Apol. p. 62. legatus *πρειγευτάς* bis

dicitur in Saxiorum decreto apud Chishull. in Antiq. Asiat. p. 115. has formas nuspiam invenias apud Grammaticos; sed sunt talia longe plurima in Doricis monumentis lapideis. In eodem Diario vide mihi quaeso p. 423, quam facile reponi potuerat *Ὀξέα δ' ἐν νάσῳ τᾶδ' ἕταροι κτέτισσαν*; in eodem epigr. quae memoratur *Ἀμφιλόχων γαῖα* facit ut recorder, quod Tu forte sic reponendum censebis in Epigr. Chaeremonis a Te emendato, ut legatur *Ἀμφιλόχων γὰρ ἀμφεννύμενος*.

Plurimum Tibi debeo pro vocabulis Sophocleis ex Glossario mecum communicatis; cujus praestantiam ex his etiam solis facile perspexissem. Sophoclis *Φαίακες* aliunde mihi non innotuerant, neque etiam alterius Tragici commemini, qui hujus nominis drama scripserit. Sed quis obsecro est iste *ἀπολέγων* in Glossario Tuo voce *Καθίσω*, ut videtur, citatus, an Apollodorus, in cujus comoediis memorantur *Ἀπολείπουσα*, *Ἀποκαρτερῶν*, etc.

Timaei Tui magnam partem Suidas aliunde transscripsit: quarumdam glossarum sedes difficulter in Platone poterit inveniri. In istis *Ξύλων ἐρεψίμων* respicit locum in Critia p. 111 c. nostris in edd. corruptissimum, de quo quid censeas aliquando significabis. Haec scribentis ad manum est Etymologicum M. In eo reperies vocem *Μέτεῤῥα* aeolice pro *μέτρια* pronuntiatam, ad quam firmandam sive Alcmanis seu alterius fragmentum profertur *Αἰτιάο τὰ μέτεῤῥα·* corrigebam, rectene an secus Tuum erit judicium: *Αἴτιδδε τὰ μέτεῤῥα* id est *αἴτιζε τὰ μέτρια*, quae digna hoc Spartano videbatur sententia: reperiuntur apud eumdem similia fragmina in v. *Βουόα*. *Ὄβδην*. In voce *Ἀρίφον* citata Sophronis esse suspicabitur, qui meminerit Theocritei in Eid. XV. 2. *ὄρη δίφρον Εὐνόα αὐτᾷ*. Theocritum a me paulo diligentius tractatum minus patienter tulisse videtur amicus tuus Amstelodamensis. Sic Te quoque tetigit, mi Ruhnkeni; par pari referre noli. — Lennepium nostrum in numismatis digerendis occupatum laetus accepi. Ad ejus literas sub finem Octobris datas dudum rescripsisse debueram, sed erant illae perbreves, et in iis uberiores brevi se daturum pollicebatur. Amicissimum Juvenem, inprimis autem summum Hemsterhusium et Albertium meo no-

mine salutabis quam criticissime. Vale, mi Valkenaeri, meque Tuum ama. Dabam Franequerae P. XXI Jan. 1781.

Celeberrimo Amicissimoque Viro,
L. C. VALCKENAERIO
DAVID RUHNKENIUS S. P. D.

Nescio, an idem Tibi, quod mihi, acciderit: mihi quidem certe. Acerbissima mors Iuvenis, Piersoni nostri, prope omnem bonarum literarum amorem ex animo meo exuisset, qui antea acri studio veteres scriptores tractabam, ut novae observationes epistolis ad Piersonum scribendis materiam praeberent, erepto mihi arbitro amicissimo, amico suavissimo, ad haec primum languere coepi. Atque haec etiam causa est, cur literis tuis quas erudite qua amanter scriptis tam sero respondeam.

Magna est controversia multisque inexpectata, quam Xenophontis libellis moves. De Apologia, parum abest, quin Tibi assentiar. Sed quod ad Agesilaum attinet, primum apud me aliquid valet totius antiquitatis testimonium: deinde tot absurda, quot illi inesse dicis, nondum reperio. Quodsi tamen singula ita demonstraveris, ut fraus tanquam manibus tenetur, nemo me citius in partes tuas transibit. Cum Hemsterhusio nostro illam epistolae tuae partem praelegerem, se quoque olim de Agesilai γνησιότητι dubitasse dicebat: sed se nunc, bene subductis rationibus, genuinum Xenophontis foetum putare. Nulla critices nostrae pars, τῷ παντ judice, tractanda est cautius. Cl. Marklandus nuper Ciceroni aliquot orationes ereptum ivit: quem quamdiu lego, ut probem ejus conjecturas, mihi extorquet. Sed, lectis Gesneri vindiciis, et Marklando irascor ingenio sic abutenti, et mihimetipsi nimis credulo illi.

Cum mihi tristissimus de Piersoni morte nuncius afferretur, occupatus eram in Longini emendationibus ad eum perscribendis: quas postea Koenio nostro legendas dedi, qui has nugas tuis etiam oculis dignas judicabat. Habes igitur, mi Valckenaeri, quicquid

[1]) Epistolam hanc, quamvis nuper editam in Addendis ad Memoriam Valckenarii, vel sic tamen hic denuo repetendam censuimus.

correctionum nobis conjectura in aureum scriptorem suggessit: sed habes hac lege, ut acerbissimam crisin in eas exerceas.

[Interpositis Longinianis, quae post editas ejus a Toupio et Weiskio in Longinum animadversiones hîc omittenda videbantur, finem scribendi fecit Ruhnkenius his verbis:]

Pro Scaligeri epistolis Tibi gratias ago. Utinam alicunde eruere possem similes illi ad P. Scriverium inter editas L. IV. p. 824, quam postea bibliopola Leidensis sub titulo Diatrib. de Arte Critica edidit, et multis hoc pacto fucum fecit. Notavit hominis fraudem Cl. Burmannus praef. ad Valesii Emendatt. Sed satis diu Te tenui. Vale, vir praestantissime, meque, ut amas, ama. Dab. Leidae d. 26 Januar. 1760.

DAVIDI RUHNKENIO

Viro clarissimo atque amicissimo

S. D.

L. C. VALCKENAER.

Occupatissimum patere ut Te paucis interpellam. Dignissimo Tibi munus demandatum [1]), si quis alius, ex animo gratulor et precor ut illud ornes diutissime. Fasciculum, quem ad me misisti, laetus accepi; in eo frustra speraveram epistolam me inventurum. Has ad Clar. Ernestum literas, quibus pro missis muneribus literariis Homero et Callim. grates ago, Tu, si me amas, curabis ut prima occasione Lipsiam deferantur. Toupii emendationes in Suidam legi jucundissime, hominis Atticarum elegantiarum et metricarum peritissimi. Quando Te misisse suspicor, quo usus es, exemplar, occasione data libellum Tibi gratus remittam. Insunt nonnulla tamen, quae viro accuratissimo nolles excidisse, veluti p. 161, *τὴν ἡμέτερον* (*τὴν ἡμετερείον* vel *αν* nonnemo corrigit); p. 84, *οὓς δασμὸν βασιλεῖ ἔτρεφον·* aeque Xenophonteum est ac alterum; horum alia dantur similia: nimis ille confidenter ponit correcturas interdum incertissimas, velut in locum 1 Cor. XI, 10. Pleraque tamen fateor optima sunt et

---

[1]) Histor. et Eloq. Cathedram Oudendorpianam. v. Vit. Ruhnk. p. 89.

[illegible]

[illegible] elegantissime. [illegible] placuerint [illegible] vellem plura possem [illegible] p. 89 [illegible] sed pro [illegible] vix. Haec [illegible]

[illegible]

[illegible]

In Pausan. p. 42[illegible] [illegible] cum reponere [illegible] [illegible] fragm. [illegible] *[illegible]*

Si desiderasset [illegible] fragm. [illegible] [illegible] jecturas malim [illegible] [illegible] Tum Gram. [illegible] Anecdoti Imgn. [illegible] [illegible] proxime [illegible] p. 360. [illegible] judam. [illegible] p. 80.

In Etymologo edito supersunt [illegible] [illegible] lor, omissa. [illegible] in [illegible] p. 450. [illegible]

In hymno [illegible] [illegible] [illegible]

Hae duae postremae Epistolae interponendae sunt editis Valckenarii et Ruhnkenii literis, Epp. mut. p. 116.

Quae Epp. mut. p. 116—120 edidit Mahnius breviora Ruhnkenii ad Valckenarium epistolia, quo tempore Leidae conjunctissimi collegae erant, intra annos 1766 et 1773 missa, omnia collocanda fuerant post epistolam anno 1764 datam, p. 121 sqq. Illis similia plura, quum in paranda Rutilii Lupi editione et conscribenda Historia critica Oratorum Graecorum, ac deinde in animadversionibus in Xenophontis Memorabilia in gratiam Ernesti elaborandis versabatur, quanquam partim editis adhibita, vel sic tamen hic non omittenda putavimus:

Valckenario suo D. R. salutem.

Velim in Notulas, quas mitto, severam crisin exerceas, et jejunitatem meam in *ἀποπηδᾷν* et aliis locis e copiarum Tuarum ubertate augeas. Vide etiam, nisi grave est, an Pindari locus, quem in *κρηπὶς* laudavi, supersit in odis, quas habemus. Vale.

[Subscripsit Valcken. »17 Decemb. 1766 missis obs. in Xenoph. *Ἀπομν.*" Cf. Ruhnkenii annot. ad L. I. c. 2 § 16.]

Valckenario suo D. R. salutem.

Levis conjectura in Themistio, de qua dubitabas, mihi confirmari videtur ab Aristoph. Equit. 1156 *Ἄφες ἀπὸ βαλβίδων ἐμέ*, ubi Scholiastes interpretatur *γραμμῶν*. Articulus *τῆς* aut *τινὸς* non magis necessarium est, quam in Proverbio *Ἀπὸ γραμμῆς*, quod habent Liban. Ep. 254, Suidas, Diogenianus, etc. Leisnero in notulis ad L. Bos Antiquit. Gr. p. 93 *καμπὴ* pro *γραμμὴ* dici videtur apud Eurip. Electr. 659. Sed alia res est.

Cum de Euripidis Polyïdo aliquid commentari constitueris, forte Tibi usui fuerit quod habet Etymologicum Regium Ms. *Πολύϊδος. οὕτω καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου. καὶ ἔστι φησὶν Πολυΐδμων μάντις ὤν. οὕτω δὲ καὶ τὸ δρᾶμα ἐπιγράφεται παρὰ Ἀριστοφάνῃ. μαρτυρεῖ δὲ Φιλόξενος. καὶ Σοφοκλῆς δὲ Μάντεσι συνέστειλεν· ὅρω πρόχειρον Πολυΐδου τοῦ μάντεως. καὶ πάλιν· οὐκ ἔστιν εἰ μὴ Πολυΐδην (δῳ) τῷ κοιράνῳ.* Nonnulla ex his etiam ap. ed. Etymol. reperiuntur. [cf. Valcken. Diatr. Eurip. p. 200 c.]

Nuper inter nos sermo incidebat de translata significatione vocis ἄγκυρα. Ecce exemplum e Lexico Sangerm. Ms. Ἄγκυρα, ἡ μεταφορὰς οἱ ἀγκύραι. Σοφοκλῆς· Ἀλλ' εἰσὶ κἀγὼ πολλὰς ἀγκύρας βίου.

Vokienario suo D. R. salutem.

Apud Rutilium p. 5 ed. Pith. in fragmento Daphnidis, mihi incogniti oratoris, haec occurrunt verba: *diligenter posteritatis crescere*, in quibus nihil extrico. [Cf. Annot. ad Rutil. Lup. p. 53.] Tu vide, an felicius divinare possis. Ibidem explico formulam *omnia facere*, sed vide, an recte atque ordine. Neminem enim novi, qui subtilius, quam Tu, loquendi formulas distinguat.

Omnia feci] Haec formula duplicem vim habet. Primum *omnia facere* dicitur is, qui culpam a se avertit. Ovid. Nuce, 121.

Omnia cum faciam, cum praestem sedula nautis
Officium, saxis officiosa petor.

Sueton. Ner. 23. *omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunae.* vide Gronov. ad Plaut. Merc. II. 3. 126. Deinde haec formula dicitur de magno, sed irrito fere, conatu, ut primus docuit Jos. Scaliger ad Virgil. Cat. p. 20. Ovid. Metam. IX. 540. Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci,
Sunt mihi Di testes, ut tandem sanior essem.

Ep. XXI. 7. Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianae,
Illa tamen justa plus tibi parte favet.

Petron. cap. 107. *Quid ita omnia fecisti, ut, quos tuebaris, absconderes?* et cap. 115. *Quae ergo dementia est, omnia facere, ne quid e nobis relinquat sepultura?* ubi vide Wower. Adde Raphel. Annot. ad Luc. XII. 58. Posteriore notione capiendum in Rutilio. [Cf. Annot. ad Rutil. Lup. p. 54.]

Emendatio mea Anthol. p. 513, nunc leviter mutata, clarior Tibi videbitur:

Nec jam divitibus tollunt sua crimina numi.

Sensus est: Nec jam divites opus habent, crimina sua numis redimere; sed tantus favor est divitiarum, ut propter hunc favorem vel gratis elabi possint.

Vale, vir amicissime.

Valckenario suo D. R. salutem.

In praefatione de Graecorum oratorum successione disputabo, de qua insignis locus est Ciceronis De Orat. II. 22. Is quantopere a Pearcio aliisque vexatus sit, nihil attinet dicere. Mihi semper mutilus visus est, et sic restituendus: *Ecce tibi exortus est Isocrates, magister historicorum et oratorum omnium.* Statim subjicit primum historicos, deinde oratores. Similiter de Isocrate Dionys. Halic. p. 94. lin. 28, quem vide. [Aliter in Hist. Cr. Or. Gr. p. LXI, verba *magister istorum omnium* e textu ejecit.]

Sequenti cap. legere malim: *tamdiu genus illud dicendi studiumque viguit.* Apud Graecos tamen ζῇν ita occurrit. Phrynich. Ms. *Αὐτὴ νῦν ἡ σοφία ζῇ, ἐπί τινος εὐδοκιμοῦντος χρῶ.* [Margini adscripsit Valcken. »multa secula postea sic *viguit* Pythag. nomen. Haec in Philos. ratio *viguit. Vigebant* studia rei militaris. Studia eloq. *viguerunt.* — pulcritudo *ὀλίγον ζῇ*, Theocr. 23. 32]

A Clemente Alexandr. Strom. VI. p. 748 citatur orator, mihi incognitus, *Νικίας ἐν τῷ πρὸς Λυσίαν* etc. Forte nomina sic transponenda: *Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Νικίαν.* [Adscripsit Valcken. »*Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Κλεινίαν*, sed ista verba Lysiae p. 331, 3." — Cf. Hist. Cr. Or. Gr. p. XL.] Eadem pag. lege: *Λυσίας ἐν τοῖς ὀρφανικοῖς.* Quod, vix dubito, quin ab aliis occupatum sit. Pag. 747, Andocides Isocratem compilasse dicitur: quod credere vix sinunt temporis rationes. Quid? si hic quoque nomina transponamus. Tu me certiora docebis.

Valckenario suo salutem D. R.

Miserunt ad me Berolinenses duo exempla Catalogi Deutschiani, petentes ut alterum Tecum communicarem.

Dum relego quas olim ad Ernestum miseram observationes in Xenophontem, haereo libro secundo, ubi Socrates cum Critobulo de amicitia disputat. Ecce librorum varietatem. Aldina: *καὶ τοῖς τῶν ὡραίων ἀφροδισίοις ἑλόμενοι ἐγκαρτερεῖν.* Ms. Leid. et Ed. Basil. *ἡλωμένοι.* Excerpta Vossiana: *ἑλκόμενοι*, quod etiam Bessario in libro suo invenisse videtur, vertens: *quamvis voluptate ducantur.* Leunclaviana: *ἡδόμενοι.* Quod satis placet. Sic in

Hierax p. [illegible] [illegible] Sed [illegible] [illegible] stätter. [illegible] [illegible] [illegible]

ὡσαύτως ὀνομαζόντων. Μισῶ δὲ καὶ Σωκράτην τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην. ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις. ubi ante ἢ Πρόδ. ponenda est particula καὶ, diversi versus index. Est enim posterior Aristophanis versus e Tagenistis. Scholiast. ad Comici Nub. 360: Ἀριστοφάνης ἐν Ταγηνισταῖς·

Τὸν ἄνδρα τοῦτον ἢ βιβλίον διέφθορεν,
ἢ Πρόδικος, ἢ καὶ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις.

Sic illos jambos e Suida v. Πρόδικον restituit Kusterus, cujus emendationem Proclus egregie confirmat. Inde ἀδολεσχεῖν simpliciter dici coepit pro *disputare de rebus naturalibus*. Lexicon Ms. Sangermanense: Ἀδολεσχεῖν σημαίνει μὲν τὸ φιλοσοφεῖν περί τε φύσεως καὶ τοῦ παντὸς διαλεσχαίνοντα. Ceterum ad Eupolidis convivium respicit Plato Phaedone p. 381, B. οὐκοῦν γε ἂν οἶμαι εἰπεῖν τινα νῦν ἀκούσαντα, οὐδὲ εἰ κωμῳδοποιός εἴη, ὡς ἀδολεσχῶ. ubi Olympiodorus Comm. Ms. affert Eupolidis versus, quos supra posuimus. Eodem etiam respicit Xenophon Oeconom. p. 59: καὶ ταῦτα ὢν ἀνὴρ, ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ, καὶ ἀερομετρεῖν, καὶ τὸ πάντων δὴ ἀνοητότατον δοκοῦν εἶναι ἔγκλημα, πένης καλοῦμαι. [Cf. Annot. ad Xenoph. Memorab. I. 2 § 31.]

Valckenario suo D. R. salutem.

Cum Ciceronem de N. D. legerem, miratus sum quae dicuntur I. 12: *facit enim Socratem disputantem, formam Dei quaeri non oportere: eundemque et solem et animum Deum dicere: et modo unum, tum autem plures Deos.* De forma Dei non quaerenda locus est Memorab. IV. ut vidit etiam Davisius. Sed frustra quaero, ubi Socrates *Solem*, ubi *Animum* dixerit esse Deum. Ne diserte quidem dixit, *unum* aut *plures* esse Deos. Haec si neque a Te in Xenophonte lecta sint, plane confirmatur, quod in notulis meis dixi, Xenophontis Memorabilia multis partibus truncata ad nos pervenisse.

Cum Cicero ad manum sit, adscribam ultima verba cap. 13 libri III de Offic. *Haec tot et alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?* Qualis, quaeso Te, hic sermo est? Non *inutile* scribere in hac sententia debuerat, sed *turpe*, *foedum*.

Deinde quis unquam dixit *vitiorum nomina subire?* Ego legendum puto, *vitiorum subjicere nomina.* Sunt autem illa verba non Ciceronis, sed inepti et fastidiosi Grammatici, quem offendebant tot epitheta, quae eandem rem exprimerent, cumulata. Verbis *et alia plura* respicit finem cap. 14, ubi junguntur *aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi.*

Heri literas accepi a Musgravio, quibus haec etiam scribit: »*Euripidem magno ardore rursus castigare aggressus sum, et omnes fere tragoedias, non desultorie, ut olim, sed notis perpetuis, et pene dixeram justo commentario illustravi.*" Vale, amicorum optime.

Valckenario suo salutem D. R.

Velim mea caussa inspicias Scholia Mss. in Aristidem, quae penes Te sunt. In editis ad init. Panathen. ita scribitur: *πρώτους (τοὺς Ἀθηναίους) παρὰ θεῶν δεξαμένους τὰ σπέρματα δι' Ἄδου, καὶ διὰ Κελεοῦ, καὶ διὰ Τριπτολέμου.* Nomen *Ἄδου* vitiosum esse, facile apparet. Forte leg. *διὰ Ῥάρου.* Suidas: *Ῥαριάς. Δημήτηρ. Ῥάρος γὰρ ἔσχεν υἱὸν Κελεόν, Κελεὸς δὲ Τριπτόλεμον. ὁ δὲ Ῥάρος πλανωμένην τὴν Δήμητρα — ὑπεδέξατο.* Hinc etiam emendandus Homericus Hymnus in Cererem: *Εἰς δ' ἄρα ῥίον ἵξε, φερέσβιον οὖθαρ ἀροίρης.* Lege: *Εἶθαρ Ῥάριον ἵξε, φ. ο. ἀ.* Vide veterum loca apud Meursium de Regn. Att. I. 14. In Schol. tamen Aristidis alia mihi quoque conjectura nata est: *διὰ Δυσαύλου.* Nonnulli enim tradiderunt, Dysaulum et Triptolemum frumenti serendi rationem a Cerere accepisse: vide Pausaniam Attic. 14. p. 34. et Clement. Alexandr. Protrept. p. 17. Vale, vir amicissime.

[Conviter 1780. Cf. Annot. ad Hymn. in Cerer. v. 450.]

(*Valckenario suo D. R. sal.*)

Epigramma, de quo heri quaerebas, ita legitur in Apographo meo:

Τὰς τε κόρας, Λιμνάτι κόρα κόρα, ὡς ἐνιοῦσας,
Ἄνθεο, καὶ τὰ κόρων ἐνδίκια, Ἀρτέμιδι.

Vicissim, modo pro *κόρα* scribas *κόρα*. Nominativus *κόρα* re-

ferendus ad Τιμαρέτα. Lusus est in triplici significatu vocis κόρα. Timareta κόρα dedicat κόρας, *pupas suas*, κόρα Λιμνᾶτι Ἀρτέμιδι. Λιμνᾶτι dicitur pro Λιμνάτιδι, ut apud Homerum δαΐ λυγρῇ pro δαΐδι λυγρῇ, quod in margine exemplaris mei comparavit Guietus.

Complures alias Ruhnkenii schedas autographas, Grammaticorum veterum refertas excerptis, cum Valckenario suo communicatis, quae hic in usum suum se convertisse significavit, ad publicam notitiam proferre nihil attinet.

Constat Ruhnkenium, Hemsterhusio monente, haud parum operae Juris studio navasse, teste Wyttenbachio in Vita viri p. 47. Eo ut par erat consilio, id quod adhuc annotare negleximus, anno 1750, Rectore Magnifico F. Winter, d. 14 Septembris, Albo civium academicorum inscribendum sese obtulit *Studiosum Juris Utriusque:* nec tamen Doctoris gradum aut expetivisse, aut comparasse sibi videtur. Sed biennio post studiorum specimen prodidit *Thalelaei* aliorumque Jctorum Graecorum commentariis in Titt. Dig. et Cod. *de Postulando sive de Advocatis* Latine vertendis et illustrandis; qua de re diximus supra p. 25. *Praefatio* hujus operis ad Lectorem in Opusc. ejus T. I. p. 73, relata est, non item ei praemissa *Dedicatio* ad Academiae Lugduno-Batavae Curatores; quam, quoniam liber minus frequenter obvius est, ne quid, quod eo spectat, desideretur, huc transferendam censuimus. Ita autem se habet:

VIRI SUMMI.

Majorem in modum gaudeo, non quaesitam ambitiose, sed sponte natam esse occasionem, qua quantum beneficiis Vestris debeam, publice testificari possim. Cum enim veterum Graecorum Latinorumque monimentis, unde solidior ad nos manavit eruditio, omnem operam navandam esse judicarem, facileque viderem, quantum ad ea interpretanda momenti habeat, antiquas et spectatae fidei membranas in consilium adhibuisse: fretus summa humanitate vestra, ut mihi ad locupletissimos Bibliothecae Vestrae thesauros aditus patefieret, ea, qua par est,

observantia rogavi. Nec quicquam citius factum est, quam ut Vos, VIRI ILLUSTRISSIMI, huic cupiditati meae, justae, ut Vobis videbatur, et honestae, comiter benigneque annueretis. Etenim, quae Vestra est sapientia, non ideo immensum illum veteris memoriae apparatum congessistis, ut abditus et seclusus cum blattis et tineis conflictetur, sed ut inde homines literarum studiosi instrumenta expromant, quibus aureae vetustatis reliquiae expoliantur, atque artium adeo liberalium termini proferantur. Ex iisdem thesauris Vestris depromti sunt hi, quos videtis, Graeci Jcti: quos quibus potius ex veteri formula darem dicarem, quam Vobis, MAECENATES OPTIMI, quibus pleno jure debentur? Hos igitur castigatos a me Latineque versos ita, quaeso, accipiatis, uti equidem illos perpetuum grati erga Vos animi testimonium, et venerationis maximis virtutibus Vestris debitae pignus esse volui. Deus Opt. Max. Vos quam diutissime incolumes florentesque praestet, ut et res publica et literaria Vestro praesidio laetissime vigeat, novaque in dies capiat incrementa. Dab. d. 28 Novemb. MDCCLII.

ILLUSTRISSIMORUM NOMINUM VESTRORUM obsequentissimus cultor,
DAVID RUHNKENIUS.

Ex Ruhnkenii *Testimoniis* discipulorum commendationi destinatis, quorum quidem memoria servata est, unum lectu perquam dignum fasciculo Epistolarum ad Diversos p. 172 addidit Mahnius. Nobis praeterea praesto sunt duo edita, tertium nondum editum.

Ruhnkenii sibi datum Testimonium academicum attulit, de Vita viri a Wyttenbachio conscripta referens, gratus discipulus P. H. Marron, his verbis: »O Ruhnkenius! depuis notre adolescence, quelles obligations nous vous avons eues! Cet extrait est un nouveau tribut de notre gratitude. Nous conservons avec orgueil cet attestat académique de votre main:

P. H. Marron, cum recte judicasset, theologiam majus esse aliquid quam vulgo homines opinantur, et ex variis reconditis-

que artibus collectum, humaniorum literarum studium adsumsit, cet."

Vid. *Magazin encyclopédique* par *A. L. Millin*, Ann. 6me. T. II. p. 91. Testimonii hujus exemplum, ipsa Ruhnkenii manu exaratum d. 25 Aug. 1774, venale prostitit in Collectione autographorum Luzaciana, Amstelodami divendita a. 1872, Catal. p. 76, N°. 746.

Dav. Ruhnkenii, Literatorum principis, testimonium sibi datum praemisit Poematibus suis Ackerus, ed. sec. a. 1789.

Vopiscus Horatius Acker, vir doctissimus, qui, quantum poëtices facultate valeat, edito carminum specimine ostendit; ante biennium in hanc Academiam venit, et totum illud tempus, partim in audiendis Lectionibus meis, partim in erudiendis adolescentibus consumsit. Cujus mores, si antea solutiores fuerint, nunc quidem meis et Cl. Voordae admonitionibus ita emendati sunt, ut Polemo e Xenocratis schola prodiisse videatur.

Leidae 29 Nov. 1787.

Tertio loco accedat hoc, cujus autographum nobis in manibus est:

Juvenis ingenio et moribus egregius, *Petrus Liettard*, Niecopa Batavus, sacra non illotis manibus tractanda esse ratus, antequam ad disciplinam Theologicam accederet, totum se dedit linguarum veterum studio, literisque humanioribus, eoque consilio Lectiones, quibus Scriptores Latinos enarrabam, summa assiduitate frequentavit. Dab. Leidae, die 2 Decemb. 1794.

Opusculis Ruhnkenii ex ed. alt. T. II. p. 763 addita est Tabula, repraesentans Inscriptionem Sepulcralem Gentis Dousarum *(van der Does)*, communi opera Ruhnkenii ejusque collegae Tewateri redactam; qua in re hujus sine dubio praecipuae partes in argumento, illius in forma fuere.

Alteram ejusmodi Inscriptionem in memoriam Annae Mariae Boreel, nuptae Francisco Fagel, ei cujus elogium Gallice scripsit Franc. Hemsterhusius, teste Santenio a Ruhnkenio factam, et in Diezii copiis Bibliothecae regiae Berolinensis Cod. 98, fol. 110,

servatam, secum a Zumptio communicatam, prodidit Friedemannus, collectionis suae T. II. p. 550. Ea sic se habet:

AETERNAE. MEMORIAE

ANNAE. MARIAE. BOREEL
QVAE. NVPTA. FRANCISCO. FAGEL
ORDINVM. BELGIL FOEDERATI. GRAPHIARIO
GENTEM. FAGELIAM. AD. PERPAVCOS. REDACTAM
STIRPE. SVBSIDIISQVE. AVXIT
ET. VITAE. INNOCENTIA. PRVDENTIA. MORVM
SVAVITATE. ARTIVM. PVLCRARVM. SENSV
ET. SVORVM. ET. ALIENORVM. AMOREM. SIBI. CONCILIAVIT
CVM. ANNVM. AGENS. QVADRAGESIMVM. TERTIVM
D. XV. IVL. MDCCLXXXI. AD. FONTES. PYRMONTANOS
IMMATVRA. MORTE. RAPTA. ESSET
HOC. MONIMENTVM. CONTRA. PIETATIS. VOTVM
POSVERVNT. QVINQVE. FILII. ET. DVAE. FILIAE
NIHIL. DE. OPTIMA. MATRE. QVERENTES
NISI. QVOD. SE. TENELLA. OMNES. AETATE
ET. PATRE. IAM. ORBATOS. IN
SOLITVDINE. RELIQVIT

Superest ut qui, post *Addenda et Emendanda* ad finem libri nostri notata, praeterea sero nobis obversati sunt errores cum typographi tum nostri breviter indicentur. Corrigenda igitur supersunt sequentia:

IN PRAEFATIONE.

Pag. I v. 3. repetita *legendum* repetitae.
» III v. 23. Hemstershusii — Hemsterhusii.
» V v. 19. orthographiae *addendum* et interpunctionis.
» XXXII v. 27. sese *delendum*.

In Contextu.

Pag. 24 v. 13. bonos *legendum* bonas
» 114 v. 10. habent — habet, *sequente* v. 12 intelligat.
» 118 v. penult. Gr. et Lat. — Gr. ac Lat.
» 122 v. 22. } suppellect. — supellect.
» 137 v. 13. }
» 169 v. 25. tinetur volum. — tinetur, volum.
» 172 v. 7. disputationem qua — disputationem, qua
» 177 v. 11. urgeret — urgueret
» 179 v. 5. depromta volv. — depromta, volv.
» 185 Annot. v. 28. rum — rem
» 203 v. 10. ut — in
» 211 in marg. v. 9. 175 — 176
» 212 in marg. v. 29. 177 — 178
» 217 v. 24 sq. At-tacini — A-tacini
» 220 v. 29. profectionis — perfectionis
» 232 v. 29. Accedebant, tempora — Accedebant temp.
» 234 v. 4. alia — alii
» 253 v. 22. utroqne — utroque
» 277 v. 20. ipse — et ipse

In Annotatione.

» 362 v. 4. *perstissimum* — *peritissimum*
» 366 v. 14. *Erphemeride* — *Ephemeride*
» 371 v. 6. Leidae — Leidâ
» 396 v. 19. conjunctum — conjuncti
» 417 v. 18. *Pausiorum* — *Parisiorum*
» 462 v. 20. p. 293 — 243
» 468 v. 9. H. Tollius V. Cl. — Nicolaus filius
» 482 v. 1. P. 123 — 223
» 507 v. penult. — 508 v. 23. P. 31. *Saeculis cet.* — *Videant alii hac de re diligentius.* Alieno loco posita Annotatio pertinet non ad Vitam Ruhnk. sed ad Elog. Hemsterh. ideoque ponenda fuerat supra p. 502, post vs. 17, ante Annot. ad pag. 32.

SUPPLEMENTA ANNOTATIONIS

AD VITAM DANIELIS WYTTENBACHII, AUCTORE GUILIELMO LEONARDO MAHNE.

De *Vita Wyttenbachii*, ab ejus dilectissimo aeque atque amantissimo discipulo Mahnio conscripta, non est quod multa dicantur. Prodiit liber tertio post Viri obitum anno Gandavi, apud Max. Ant. Mahne, et Lugduni Batav. apud S. et J. Luchtmans, 1823, ejusque mox eodem anno altera editione opus fuit. Biennio post in Germania recusus est Brunswigae, sumtibus L. Lucii, 1825, curante Fr. Tr. Friedemanno, in cujus collectione *Vitarum Hominum quocumque Literarum genere eruditissimorum ab eloquentissimis Viris scriptarum* primum locum tenet. Censuram ejus satis honorificam egerunt cum apud nostrates tum apud exteros Relationum literariarum scriptores [1]). Ac pro modestia sua auctor ingenue fatetur, continere hunc libellum »non nisi nudam ac simplicem rerum Wyttenbachii praecipuarum enarrationem." Qua professione quum *praecipua* tantum Wyttenbachianarum rerum capita sese complexurum significet, mirandum

---

[1]) Libri Censurae exstant in *Recens. o. d. Recens.* 1823, Dl. XVI, bl. 489—495. *Letterk. Magazijn enz.* (bij van Dijk), 1823, N°. 14, bl. 621—626. *Vaderl. Letteroefeningen*, 1824, Dl. I, bl. 617—623. *Messager des Sciences et des Arts de la Société Royale de Gand*, *Juillet* 1823, 3me Livr. p. 92—100. *Heidelberger Jahrbücher der Literatur*, 1824, N°. 68 et 69, von G. J. Bekker. *Hallische algem. Literatur-Zeitung*, 1824, N°. 194 sq. *Göttingische Anzeigen*, 1826, N°. 142, S. 1413. De Friedemanni, nonnullis partibus auctiore, editione retulimus ipsi in *Recens. o. d. Recens.* 1826, N°. 8 en 9, bl. 385—399, en 431—446.

non est, edito libro, complura sese obtulisse, quorum in eo mentio aut desideraretur, aut certe commode supplenda videretur Ex hoc genere nonnulla ipse Mahnius attigit, cum in Epistolarum Wyttenbachii et Ruhnkenii editione, tum in Supplementis Epistolarum utriusque Viri. Restant alia a nobis postea identidem animadversa, quae ne in posterum ex hominum memoria evanescant, horum ope supplementorum providendum arbitrati sumus.

Wyttenbachii post Mahnium memoriam pie recoluit Phil. Guil. van Heusde in Epistola ad Frid. Creuzerum, dedicationis loco praemissa Philosophiae Platonicae Initiis, a. 1825. Summatim dixit de eo D. J. van Lennep Oratione in altera Athenaei Amstelodamensis Saecularia a. 1832, p. 207—210, et Annot. p. 269 sq. laudatis Stapferi Biographia univ. T. LI, p. 309, et Annalibus Academiae Lugduno-Batavae 1820—1821, ubi Wyttenbachii scripta recensentur. Addatur Fr. Creuzer in Vita sua Germanice scripta (*Aus dem Leben eines alten Professors, u. s. w. Leipz. u. Darmst.* 1848.) p. 79—84. Nihil novi continet Lexicon vernaculum artium et doctrinarum, Zutphaniae editum [1]).

Praeter alia, quae in Vita Wyttenbachii desiderantur, mentio est *Hieron. de Bosch*, qui ei *Carmen* suum *de Hominum aequalitate* singulari epistola inscripsit anno 1793. *A. L. Kaldenbach*, Gymnasii Hornani Prorectoris, *Carmina* ei dicantis, Amstelodami edita a. 1800. *Aug. Matthiae*, Grammaticam Graecam, Germanice scriptam, ejus nomini inscribentis, a. 1807; cui pro oblato hoc honore gratias egit Wyttenbachius, Epp. Fasc. II, p. 42 sq. ejusque libri censuram prodidit Philom. L. II. p. 224—232. Tum vero etiam, praeter honores Wyttenbachio publice oblatos, Ordinis equestris *Unionis* Hollandici et *Reunionis* Francici, ac deinde *Leonis Belgici*, sodalitii *Instituti Regii* non tantum Neerlandici, verum etiam Francici, ut et *Societatis Latinae Jenensis* et Regiae *Gottingensis*, de quibus omnibus retulit Mahnius

---

[1]) *Algem. Woordenboek van Kunsten en Wetensch. verzameld door Gt. Nieuwenhuis*, T.-W. (1828) p. 665—672. ubi corrigantur duo graves errores, *Jarger* pro *Jaeger*, et *Aristarchus* pro *Aristaenetus*.

p. 198, 217 sq. 228 sqq. 236 ac 246. nequaquam praetermittendum fuerat. Wyttenbachium anno 1811 a Senatu Academico Leidensi, honoris causa, renunciatum esse *Philosophiae Doctorem et Artium liberalium Magistrum* [1].

Anno post Wyttenbachii obitum prodierunt ejus *Opuscula varii argumenti, oratoria, historica, critica*, conjunctim edita Lugduni Batav. apud Luchtmansios, 1821, duobus tomis. *Opuscula viri selecta*, adjecto Mahnii *Critone* aliisque, curavit Fr. Tr. Friedemann, Brunswigae, 1825. 28, duobus deinceps voll.

Epistolarum selectorum fasciculos tres collegit ediditque G. L. Mahne, Gandavi 1830. quibus tamen non continentur nisi eae, quarum apographa sibi servaverat Wyttenbachius, ab initio hujus seculi, antea id facere non solitus. Nonnullas addidit in Suppl. Epp. Ruhnk. et Wyttenb. 1847. Quas omnes cum vitae viri negotiis arcte conjunctas esse, sponte intelligitur. Plurium etiam, quibus edendis praesens aetas nondum opportuna videbatur, apographa, sua ipsius manu accuratissime exarata, moriens filio diligenter custodienda commiserat: quae postea pervenerunt in Bibliothecam academicam Leidensem ibique fasciculo inclusae ac sigillo munitae luci publicae subtractae servantur.

Quae in Vita Wyttenb. prodita sunt ex epist. ad *literarum laude florentissimum* quemdam virum, p. 174. ad *Janum Valckenaerium*, p. 199. ut et Epp. ad Comitem *De Fontanes* et Ducem *de Cador*, p. 213 sq. 220 sq. ad *F. G. Boersium*, p. 226, ex Epp. ad *Mahnium*, p. 176, 209, 216, 219 et 227. denique ex epp. *Randolphi* ad Wyttenb. p. 178 sq. ea omnia in editis Epistolis frustra quaesivimus.

Epistolarum ante hoc tempus superiore seculo ad complures

---

[1]) In Catalogo Candidatorum, qui gradum Doctoris adepti sunt ab anno 1766—1812, Vol. IV. legitur ad d. 24 Decembr. a. 1811: »*Daniel Wyttenbach*, Bernensis, Litt. Gr. et Lat. Hist. cum Univ. tum Philosoph. Eloq. Poes. et Antiquit. Prof. Ord. honoris caussa, remissis examinibus et remisso honorario, *Philosophiae Doctor*, *Artiumque liberalium Magister* creatus est a Cl. van de Wijnpersse."

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Wyttenbachii complures ad *Jo. Jac. Hottingerum* epistolas Luchtmansiis obtulisse Ochsnerum, Prof. Turicensem, supra vidimus p. 20. Nonnisi una anni 1801 exstat in editis Fasc. I. p. 117.

Duae ad *P. Bondamum* a. 1794 et seq. venales prostabant in Catal. Mss. et autographorum viri consult. Hoog van Ter Aar, Roterod. 1869, N°. 2397. Bondami ad eas, ut videtur, responsa nobis in manibus sunt, cum paucis aliis aliorum ad Wyttenbachium.

Aliae nonnullae ad *Steph. Luzacium* aderant in collectione mstor. et autogr. L. C. Luzacii, publice divenditorum a. 1872, Catal. N°. 883 sqq. ut et uxoris ejus Jo. Gallien, N°. 886 sq. item aliorum ad Wyttenbachium, p. 26, N°. 119.

Graecam ad dilectum in primis discipulum *Lyndenum* mense Augusto a. 1803 datam, hac opportunitate publici juris facere, operae pretium duximus.

Virorum doctorum cum Wyttenbachio commercium epistolicum commemoratur in Catal. partis postr. Bibliothecae Mahnii, Lugd. Bat. 1852, Mss. p. 56, N°. 72—85 et 87.

Pag. 1—4. De *Gente Wyttenbachiorum*, post Bangium in Elogio *Danielis Wyttenbachii* patris, nonnulla praemisit Mahnius. Quaeritur autem, unde *Danieli* filio nomen accesserit *Alberti*, quod ipsi fuisse sed ab eo repudiatum esse annotavit Mahnius p. 250. Ineunte seculo XVIII, *Albertus* quidam *Wyttenbach*, Helvetio-Bernas, Medicinae doctor creatus est in Academia Lugduno-Batava, proposita Dissertatione inaug. *de Peripneumonia vera ejusque curatione*, Lugd. Bat. 1707. Quod si hic *Albertus* unus fuerit e sedecim superstitibus *Joannis Antonii* liberis, frater *Danielis*, avi nostri Wyttenbachii, fieri potest ut aut ab hoc aut a patruo senatore nomen *Alberti* acceperit. Cf. Bangii Elog. p. 9.

Joannis Wyttenbachii, cognati a. 1810 defuncti, memoriam prodidit ipse Philom. L. III. p. 220—226; fratris item et sororum, ibid. p. 226—230. Ac Wyttenbachiorum nomen, ut videtur, hodieque adhuc exstat in Germania.

P. 72. [illegible] — [illegible] Magnum [illegible] Mennaea [illegible] Mannum. [illegible] [illegible] [illegible]

P. 105. »*Ex Santenio — spero.*"] Ex Ruhnkenii ad Wyttenb. epist. 18 Sept. 1775, p. 23.

P. 109. *Bibliothecam Criticam, cet.*] Cf. Vita Ruhnkenii, p. 170. Philom. L. III. p. 172. et aliis locis hac de re prodita. Relationes duas breviores, Bibliothecae Crit. quondam destinatas, sed non insertas, edidit Mahnius in Supplem. Epp. Ruhnkenii et Wyttenb. p. 79—82.

Pag. 114. *Scholas singulares de Historiâ Philosophiae, cet.*] Has scholas subinde paulo alia ratione ac distributione, sub nomine *Historiae Doctrinarum*, tradere solebat Wyttenbachius, ita ut materiam iis tractatam non in sex aetates distribueret, sed quadripartitam divisionem sequeretur: I. *Aetas Graeca*, ab initio ad Augustum; II. *Aetas Graeco-Romana*, ab Augusto ad Justiniani Caesaris obitum a. C. 565. III. *Aetas media*, sive Medium Aevum, a seculo VI usque ad sec. XV. IV. *Aetas recentior*, a seculo XV ad nostra tempora. In Aetate *Graeco-Romana*, sive *Latina*, agebat primum de Romanis Literarum auctoribus ante Augustum; deinde de Scriptoribus cum Graecis tum Latinis seculis deinceps subsequentibus primo ad sextum circiter medium.

Hac quidem ratione Historiam Doctrinarum jam in Athenaeo Amstelodamensi, ante Ruhnkenii obitum et discessum suum in Academiam Lugduno-Batavam, tradidisse videtur. Scholarum de Hist. Philos. accuratissimum exemplar se habere affirmabat Wyttenbachii quondam discipulus Vir ampliss. B. P. van Wesele Scholten: aliud, manu Petri Nieuwlandii scriptum, emtum ex Biblioth. Hier. de Bosch, possedit quondam Conrector Gymnasii Leidensis J. Delfos, nunc possidet ejus Rector vir doctiss. G. H. D. Suringar.

Superest Wyttenbachii uberior *Historiae Philosophicae Delineatio* autographa, minutissime et niditissime in privatum usum conscripta, unde fluxerunt ejusdem brevius *Historiae philos. Compendium* et *Historia Doctrinarum*, quae auditoribus dictare solebat. Ista omnia, una cum reliquis Viri Scholis de *Historia universali*, *Antiquitatibus Graecis* ac *Romanis*, in *Graecos* et *Latinos Scriptores*, ex Mahnii supellectile literaria in manus meas translata, mense Novembri 1869, quinquagesimo Doctoratus

mei anno, Bibliothecae publicae Lugduno-Batavae dono data sunt, in perpetuam viri memoriam ad usum publicum ibi pie ac sedulo asservanda.

P. 123. *Sequente anno cet. — ornaretur.*] Praeter duas Disputationes praemio ornatas, alteram *de Unitate Dei* a Legato Stolpiano a. 1779 (supra p. 116), alteram *de veterum philosophorum sententia de vita et statu animorum post mortem corporis* a Legato Teyleriano a. 1783, Responsionis ad Quaestionem Teylerianam a. 1785 *de fide Herodoti recte aestimanda*, inchoatae quidem sed ad finem non perductae, *Prooemium* scripto consignatum reliquit Wyttenbachius; quod edidit Mahnius in Supplem. Epp. Ruhnk. et Wyttenb. pag. 40—48.

P. 123 sq. *De Animorum immortalitate — quinque lectiones — primo quoque tempore publici juris faciam.*] Fecit hoc Mahnius anno proximo, 1824. Honorifice de iis retulit Bakius, Biblioth. Crit. novae Vol. I. p. 265—267. Improbavit editionem Geelius, Praef. ad Hemsterhusii anecdota p. XXVI sq.

P. 124. *B. P. Van Wesele Scholten — — P. Nieuwland*] Vid. Biblioth. Crit. P. VIII. p. 126 sq. 128 sq. et Annot. nostra ad Vitam Ruhnk. p. 477.

P. 126. »*Heri de Te vocando egi, cet. — reperient.*"] Vid. Ruhnkenii Epp. ad Wyttenb. p. 45 sq.

Ibid. »*Si scire vis — competitores.*"] Vid. ibid. p. 46 sq.

P. 141. *Ad publicam notitiam perferre*] Batavorum scilicet: nam exteris jamdudum innotuerat istud Wyttenbachii epistolium, editum in Actis Sacrorum Saecularium Universitatis Heidelbergensis a. 1787, pag. 19 sq.

P. 146. »*Ferias paschales — revertaris.*"] Ex Ruhnkenii ad Wyttenb. ep. p. 57.

P. 147. *Thomas Burgessius*] Cf. Biblioth. Crit. Vol. III. P. II. p. 106. Saxii Onom. Lit. P. VIII. p. 416.

P. 148. »*Plutarchus tuus — submittendas.*"] Vid. Ruhnken. Epp. ad Wyttenb. p. 21.

P. 152. *Selecta Principum Historicorum.*] Primum edita a. 1794, non 1793. Liber ex altera editione a. 1808 (vid. infra

p. 190) bis deinceps recusus est Lugduni Batav. apud Luchtmansios a. 1820 et 1829, semel Lipsiae sumtibus Hartmanni, 1827 (qua de re vid. annot. ad Vitam Bossii p. 81), nunc vix amplius in usu. Pro exemplis muneri acceptis Wyttenbachio gratias egerunt F. G. Pestelius et B. Voorda. Illius hae sunt literae:

Vir Clarissime.

Jucundissimum mihi est munus, quo me nuper donasti, idque et humanitatis Tuae documentum et benevolentiae Tuae pignus gratissime interpretor. Gratulor Tibi ac valde gaudeo, hac quoque tempestate Tibi contingere gregales, qui dignoscere cauti, quid distent aera lupinis, assiduam Tibi optima quaeque docenti, frequentiam praebeant. De quibus spem haud levem merito concipis, maturiori aetate eos futuros, quos disciplinae Tuae alumnos lubens olim agnoscas, et quorum ex eruditione ac sensibus judicari haud recuses. Qua suavitate nulla, ut opinor, doctori recte sentienti exoptatior obvenire potest.

Pulchram libri Tui praefationem intenta mente ac pari totam cum voluptate relegi. Perplacuit, quod monuisti, ardens Poetas legendi et admirandi studium haud convenire primae aetati, sed cum hujus intersit, ut ante omnia discat sapere et fari, a fontibus sani judicii rerumque usus conformandi incipiendum videri. Saepe animadvertitur, Poetarum recentiorum, eorumve scriptorum, qui prosa oratione utentes poetice loquendi famam captant, fabulis ediscendis recitandisque splendidiora quoque ingenia corrumpi, orationis tumori cuidam adsuescere, deinde ad tumescentia consilia et conata, vi phantasiae infinitis imaginibus inflatae rapi, ut quae sibi factu facillima fingunt, ea jam se manibus tenere sibi persuadeant, nec nisi sero in vigilantium somnia se incidisse sentiant.

Scriptores, quos juventuti tradis, diligenter legendi etiam mihi commendatio tua et expositio novam aviditatem incussit. Etenim otio praeter exspectationem mihi injuncto [1]) sic fruor, ut nun-

[1]) Pestelius, quippe partium Arausiacarum, eo tempore munere motus erat.

quam magis fuerim negotiosus. Totum me, animo tranquillo, in literas abdidi. In his vivo. Jam liberatus fastidiosa necessitate in commentarios rerum medio, quod vocant, aevo actarum et diplomata infinita incumbendi, redeo ad Graecos, bonarum artium auctores ac principes. Hos nunc duces in illis literarum generibus consulo ac sequor, quibus a teneris me addixi, et in quibus docendis consenui. Ex quo studio continuo quos fructus quamque dulces capiam, facile mihi credideris vel non juranti, qui idem quotidie experiris.

Admodum mihi gratum feceris, Vir eruditissime, si quando Leidam veneris, domum meam praeterire nolis. Vale resque tuas age feliciter!

Tuus omni studio
PESTEL.

Lugduni Batavorum
a. d. XXV Decembr.
CIↃIↃCCLXXXXV.

Longiores, quam quae huc referrentur, erant Voordae literae.

P. 163. *Nam non nisi posteaquam Wyttenbachius certo affirmasset, se Curatorum Leidensinm vocationi obtemperaturum — — constituerét.*"] Quum, ut est in Vita Ruhnkenii p. 277, *haec unica* fuerit *conditio, qua Amstelodamo abduci posset* Wyttenbachius, sustentandae scilicet familiae Ruhnkenianae causa, quantopere deinde, commutata statione, spe frustratus fuerit, intelligitur ex iis quae postea a. 1805 Wolfio scripsit, Epp. Fasc. II. p. 23 sq.

»Ruhnkenius noster extinctus est mense Majo 1798. Veni Leidam ad funus curandum: et saepe postea redii ad familiam consolandam et erigendam: cujus qui luctus, quae afflictatio fuerit, noli quaerere. — — Vehementer nos sollicitabat calamitas familiae: huic ut annuum reditum assignarent, petii a Curatoribus. Hi, ut in republ. turbatâ, alii aliis saepius brevi tempore succedunt: interea tempus perit, res familiae minuitur. Sedatis aliquantum motibus, scribo ad novos Curatores, caussam Ruhnkenianam iis, quoad ejus fieri poterat, commendans. Respondent,

caussam obtineri posse, modo ipse in Ruhnkenii locum succederem. Dubitavi primum: mox feci, idque minore, quam quod antea mihi oblatum erat, et quo Amstelodami fruebar, salario; relictis item multis magnisque Amstelodamensis stationis suavitatibus. Veni Leidam, putans gratiam et laudem mihi hujus benefacti apud omnes homines paratam esse. Alia omnia expertus sum. Ingratus animus filiarum; nam mater quidem meum beneficium agnoscebat. Invidia et obtrectatio aliorum."

P. 164. *Bibliothecarius*] De historia Bibliothecae publicae Lugduno-Batavae, cui praefectus erat Wyttenbachius, epistolam ejus ad Rectorem Magnif. S. J. Brugmans a. 1811 datam, edidit Mahnius in Supplem. Epp. Ruhnk. et Wyttenb. p. 74—78. Quemadmodum se in hoc munere gesserit, liquet ex pluribus Epistolarum ejus locis.

Ibid. *Oratione aditiali, De adolescentia Davidis Ruhnkenii, cet.*] Legantur quae de hac oratione, cui ipse auditor interfuerat, festive narravit Ph. G. van Heusde in Ep. ad Creuzerum praemissa Philosophiae Platon. Initiis pag. 14. Reliquit Wyttenbachius schedulam singularem, inscriptam *Coll. El. R.* i. e. Collectanea Elogio Ruhnkenii. Quae in ea summatim annotaverat, eorum omnium vestigia exstant in Vita Ruhnkenii.

P. 167. *Ruhnkenii — Vita.*] Cf. Heusdius, qui Wyttenbachio eam conscribenti adfuit, ibid. p. 10, 11. — Epistolis M. Tydemanni et H. C. Crassii, quarum supra p. 14 mentionem fecimus, gratiarum agendarum causa pro accepto libri munere, ad Wyttenbachium missis, nunc accedant Jod. Heringae El. f. literae, ex autographo, mihi quondam a Viro Cl. et amicissimo H. G. Tydeman, una cum aliis, commodato, descriptae:

DAN. WYTTENBACHIO, V. C.

S.

JODOCUS HERINGA, E. F.

Tanta fuit legendi a Te scriptam summi Ruhnkenii Vitam aviditas, ut pars ejus non exigua lecta esset ante quam e praescripta manu Tua intelligerem Tuam, in egregio munere mit-

tendo, erga me liberalitatem humanitatemque. Tum vero vehementer gavisus sum, me quidem iis a Te accenseri hominibus, et vero etiam Theologis iis, quibus gratum accidere posse tale munus, nec frustra ad legendum praeberi, videatur. Certe non diffiteor, me ita libri lectione fuisse captum, ut deponere vix potuerim prius quam totus esset perlectus. Nec tum etiam potui deponere, nisi spem mihi ipse faciens iteratae lectionis. Scilicet, et a Te scriptus erat liber, quem ab adolescentia venerari didici in schola Ruardiana, et de Ruhnkenio scriptus erat, et denique tali modo erat scriptus, ut non possem non saepissime cogitare mecum: utinam ita scribere mihi liceret! Verum istud meum judicium, quod, quam nihil apud Te valeat, bene sentio, explicare ulterius non possum: hoc tamen profiteor, profiteor autem non sine insigni animi voluptate, me, licet uni Novi Testamenti, libri vere divini, interpretationi, toto animo, deditum, ita tamen ab elegantioribus literis humanis, Graecis Latinisque, non esse alienum, ut nequeam discere ex libris Tuis; maxime vero, me, licet Professorem, non ea esse vanitate, ut nolim a Te discere. Pergas igitur, praeclare Vir! scriptis tuis, et me meosque juvenes erudire, et Academiam Lugdunobatavam ornare, et universae Reipublicae literatae insigniter prodesse. Pergas autem, bono cum Deo, melioris etiam vitae laetissima spe, per Jesum Christum, Servatorem aeternum colendum, Tibi comparata, erectus. Ita vale, meque Tuis aestimatoribus, grato animo Te persequentibus, accense.

Scripsi Traiecti Batavorum, d. VIII Jan. a. CIƆIƆCCC.

Jam ante editum librum, mense Februario 1799, scripserat ei Crassius:

»Omnes fere ephemerides, ut audio, in Germaniâ Ruhnkenii narrant mortem, et, uti quondam Graeciae civitates Homerum, ita sibi tanquam verae patriae tam illustre nomen vindicant. Necrologi multa de Viri vita, studiis, scriptis pollicentur; cuncti vero docti homines Ruhnkenii laudationem a Wyttenbachio exspectant: etenim sic judicant, neque qui Batavâ civitate donatus

ac prope Batavus fuit, eum alibi oportere quam in Batavia, neque in Batavia nisi a Wyttenbachio posse pro dignitate laudari: cui spei et exspectationi ut obtemperes, vehementer opto."

Ac Tewaterus mense Augusto:

»Quam mihi hesterno die tradidisti, partem Vitae Ruhnkenii nostri summa cum voluptate perlegi, inprimisque disputationem de illius et Valckenarii in pari fere laude dispari ratione. Pag. 130 l. 2 pro *mendacio* posui *facinore*, qua quidem voce usus est Ruhnkenius in Praefatione. Eadem pag. l. 17 et 21 bis legitur *expedivit*. Pag. 132 l. 8 et 10 *scidulae*. Nescio, an forma haec diminutiva se tueri possit testimonio veterum scriptorum."

P. 171. *Operae Plutarcheae finem facere constitui.*] Cf. Biblioth. Crit. P. XI. pag. 4. infra pag. 189, et quae in editione Animadversionum Wyttenbachii ad Plutarchi Moralia, Vol. II. P. 1. Oxon. 1821, monuerunt Editores Angli: »Animadversiones in reliquos libros perbreves quidem illae, nec nisi leviter adumbratae, una cum variarum lectionum apparatu et indicibus amplissimis, suo tempore mox prodibunt." Num promisso steterint, nos quidem latet. Cf. Censor Vitae Wyttenb. in Annal. Heidelbergensibus, p. 1105 sq.

P. 173. *Invidi obtrectatores, cet.*] Conferantur quae Jo. Randolpho, Episcopo Oxoniensi, scripsit Wyttenb. Epp. Fasc. I. p. 24 et 28, ad quem locum vid. Mahnii annot. p. 130—133.

Ibid. *F. G. Lyndenus — De Panaetio Rhodio*] Vid. Biblioth. Crit. P. XI, p. 53—63. Ad publicam disceptationem proposita disputatio, sub praesidio Wyttenbachii, quem perperam *promotorem*, et Lyndenum *doctorem* vocavit Luc. Müller in Historia philolog. Neerl. p. 86. De *Heusdii* Spec. crit. in Platonem vid. Biblioth. Crit. l. l. p. 64—74.

P. 177. *Editionem Phaedonis*] Platonici, Lugd. Bat. a. 1810. repetitam, curante G. Stallbaum, Lipsiae a. 1824. Editionem alteram Lugduno-Batavam, Epimetro annotationis auctiorem, curavit vir doctiss. B. A. Nauta, apud H. W. Hazenberg Jr. 1830.

P. 180 sq. »*Sub idem fere tempus — rogo.*"] Vid. Wyttenbachii Epp. Fasc. I. p. 27 sq.

P. 184—188. »*Complura deinceps, amicissime Sanctocruci, — quorum domus collapsae sunt*".] Cum hac de clade Leidensi d. 12 Januarii 1807 narratione, ex Wyttenbachii ad Sanctocrucium epistola, cujus reliqua pars exstat Epp. Fasc. I. p. 67 sq. omnino conferenda sunt, quae eodem circiter tempore scripsit F. A. Wolfio, Fasc. II. p. 37 sq. et Randolpho, Fasc. I. p. 35.

P. 191. *Equidem — voluntariae oblivioni lubens omnem istam odiosam litem trado, cet.*] Nec nobis lubet eam in memoriam revocare: verumtamen, si quis forte, rerum illius temporis ignarus, de ea cognoscere velit, obiter indicandi sunt fontes, unde ejus notitia petenda est. Quum pluribus *Vitae Ruhnkenii* locis (p. 10 sq. 61, 112, cf. p. 16, 223, vid. Annot. p. 358) de Kantio ejusque philosophia ita scripsisset Wyttenbachius, ut Germanorum neminem, ne ipsum quidem Kantium, offenderet; reprehensionis ansam inde arripuit philosophiae illius patronus, Paulus van Hemert, *Horrei Philosophiae criticae* Vol. III [1]). Sententiam suam latius explicuit Wyttenbachius in *Epist. ad Lyndenum*, Biblioth. Crit. P. XII (1808). Quo facto, eum adortus est Hemertus *Epistolâ* maledice scripta ac praefat. ad ejusdem alteram edit. (Amstelod. 1809). Quapropter Wyttenb. ei *καθάρσιον* obtulit, Philom. l. I. (eod. anno). Iterum in certamen descendit Hemertus cum *Triade Epistolarum*, anno seq. Hanc exceperunt *Epistolae Sodalium Socraticorum Philomathiae*, a Mahnio editae (Zierizeae, 1813). Denique sub finem anni 1814 prodiit Hemerti *Strena ad Wyttenbachium* in proximas Kalendas Januarias, quae nullum responsum tulit, nisi quod nonnullos ejus locos attigit Mahnius in annot. ad *Critonem* suum sive *Dialogum de Literarum Latinarum studio* (Zieriz. 1816). — Ceterum cf. ad h. l. Mahnii annot. ad Wyttenbachii Epp. Fasc. II. p. 113 sq. et C. D. Beckius in Actis philol. Lips. Vol. I. p. 365.

---

[1]) *Magazijn voor de Critische Wijsgeerte, enz. Amst.* 1800. Derde Deel, 3de stuk: *Eenige bedenkingen tegen de Critische Wijsgeerte, en den opgang derzelve, uit den weg geruimd.* (*Eene zamenspraak tusschen* Crito, Menander *en* Hermogenes) inprimis p. 12—41, ubi sub *Menandri* nomine latet ipse Hemertus. Cf. Wyttenb. Ep. ad Lynd. p. LIX sqq.

P. 191. »*Tu, quo es ingenio — retardavit.*"] Pars epistolae Wyttenbachii, Fasc. II. p. 7.

P. 194. *Programma, cet.*] Simile Wyttenbachii programma anni 1812 de historia literarum Graecarum Graece tradenda, a viro doctiss. F. A. Bossio secum communicatum, edidit Mahnius in Praefat. ad D. Wyttenbachii quinque Lectiones de Animi immort. a. 1824, p. VIII—X.

P. 195—198. *Hic igitur — Frid. Creuzerum — statim invitabat. — Fortuna Wyttenbachium in adipiscendo Collegâ tertio elusit.*] De Creuzeri in Academiam Leidensem vocatione, adventu, commoratione his in oris, familiari cum Wyttenbachio consuetudine, reditu denique Heidelbergam, omnino legenda sunt quae ipse retulit in Vitae suae narratione Germanica (*Aus dem Leben eines alten Professors, u. s. w.*) p. 44—55. Loco ex Philom. L. I p. 200 allato, addantur quae Creuzero scripsit Wyttenbachius mense Junio 1810, Epp. Fasc. II. p. 64 sq.

P. 211 sq. *E discipulis Wyttenbachii, cet.*] Hic commemoratis addi potest *J. A. Brand*, cujus exstat Specimen philos. et jurid. inaug. theses aliquot continens, L. B. 1810. *Ciceronis de Officiis* libros disputationis materiam se sumsisse ait in Praefat. p. IX.

Ibid. *Guil. Theod. Baumhauer et Petr. van Lelyveld.*] Illius collectanea περὶ συλλόγου ἐξαγωγῆς postea elaboravit filius *M. M. von Baumhauer*, Traj. ad Rhen. 1842. Cf. Nuncius Art. ac Lit. (*Algem. Konst- en Letterb.*) anni seq. 1843, N°. 23 sq. Hujus περὶ ἀτιμίας, *de infamia jure Attico*, *Commentatio* prodiit Amstelodami, 1835.

P. 215. *J. Kappeyne van de Coppello, cet.*] Obiit anno 1833, in ipso flore aetatis, laudatus a successore in praefectura Gymnasii Hagani, Casp. Bax.

Ibid. *Abrahamus Willet, cet.*] Vid. Philom. L. III. p. 271 sq. Obiit Amstelodami, ubi per multos annos medicinam factitaverat.

Ibid. *Janus Adr. van der Heim*] Cujus de Wyttenbachio praeceptore testimonium, perquam insigne grati animi indicium, ex praemissa Specimini academico Epistola ad patrem, p. VI sq. omnino dignum est quod ipsis viri verbis huc afferatur:

»..cum Tu praeceptores nactus esses duos praestantissimos doctrinae laude viros Valckenarium et Ruhnkenium, mihi unus tantum contigit *Wyttenbachius*, sed hic πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, cujus tanta in me sunt merita, ut debitam ei referre gratiam nunquam mihi posse videar. Non enim in Scholis tantum optimis me erudivit praeceptis; sed domi humaniter excepit, interroganti copiose semper respondit, et si quae haberem dubia aut minus intellecta libenter explicuit. Tantum igitur Virum cum quotidie Graecos Latinosque Auctores explicantem, Historiam narrantem audirem; cumque domi de quacunque materia semper ita clare et perspicue dissereret, ut difficilius esset quae ab eo dicta sunt oblivisci, quam reminisci, sponte sua ad se me alliciebant Literae, atque indies magis mihi arridebant. Accedebat quod in tales incideram Commilitones, qui eodem Literarum tenebantur amore, in quibus unum, cognitum Tibi quoque *Wassenarium* Cattovicenum subita morte nobis, patriae, et Literis quasi divinitus ereptum, memorasse sufficiat. Nos igitur cum Humanissimi Praeceptoris exemplo et monitis ad Literas colendas incitaremur, tanto ad haec studia ferebamur amore, ut felices nobis fore videremur, si in his unice elaboraremus. Intelligebamus enim et optimas vitae moderatrices et calamitatum expultrices esse Literas, atque ita haec studia nobis ἔργον, Jurisprudentiam πάρεργον fore constituebamus."

Vitam Viri, multis nominibus de patria bene meriti, licet non adhibitis quae hic ex Philom. L. III tradidit Mahnius, conscripsit et Societati Leidensi Literis Neerlandicis excolendis obtulit filius Consult. H. J. van der Heim a. 1872.

P. 217 sq. *Inexspectatus — honor, cet.*] Ordinis Equestris Reunionis Francici, ut mox narratur pag. 218 sqq., deinde a. 1816 Ord. Leonis Neerlandici, infra pag. 236, ad quem locum cf. Diarium vernaculum *De Weegschaal*, 1823, N°. 8, p. 279 sqq.

P. 230. »*Jam fere mensis est, cet.*"] Vid. Wyttenb. Epp. Fasc. I, p. 110.

P. 234. »*Gratulor tibi — dolent.*"] Ex Ruhnkenii ad Wyttenb. ep. m. Mart. 1787, p. 55.

P. 235. »*Magnum iter proficisci cogor, — mihi optavi.*"] Ad hoc iter, de die in diem, ut videtur, dilatum, pertinet Creuzeri ad Wyttenb. epistola mense Septembr. data:

WYTTENBACHIO SUO
S. FRED. CREUZER.

TEne in Germania? Vero. Salve plurimum! Faxint Dii, qui cunctantem TE excitarunt tandem aliquando, — faxint ut conducat longum iter tuae valetudini. Quod utique futurum est, si recte auguror, ac si me audire vis, et ea facere, quae fieri ab eo par est, qui suae valetudini et suis amicis consultum cupit. Nimirum continuandum iter est — Heidelbergam usque; neque vero subsistendum in medio. Perge! Perge! — per viam montanam, distinctam arboribus vinetisque, quae velavit pampineus autumnus. Proderunt oculis tuis illa vireta. Proderit item aër ille velocior, quem exhalat rapidus caeruleusque Nicer. In ejus ripis inambulemus per dies aliquot, praesertim ubi sudum coelum proprii luminis splendore candebit. Et augurantur nautae rusticique etiam calores. — Vide quae Te movere debeant ad persequendum cursum instituti itineris. — Et posses per Manhemium, Berbetomagum, Moguntium in alterâ ripâ Rheni recens iter reflectere. — Sed tamen, si omnia te avertant (quod Deus avertat!) *ubi quidem potero*, curabo, ut Vos, per aliquot certe horulas videam vel Hanoviae vel Francofurti. Neptis narrabit Tibi, quid in causâ sit, cur nil certi possim polliceri, et quid cummaxime me impeditum teneat. Vale.

Scr. Heidelbergae d. XXV Septembr. MDCCCXVI.

Quae hoc iter secuta sunt, grata et ingrata, prospera et adversa, Creuzero suo rescripsit in epistola 8 Novembr. ejusdem anni, quam edidit quidem Mahnius Fasc. II p. 90 sq. sed in qua desiderantur, quae in Vita sua (*Aus dem Leben eines alten Professors u. s. w. Beil. II.* S. 85) supplevit Creuzerus, sequentia: »Nolo te ignorare me his diebus a Rege nostro condecoratum esse signo Ordinis equestris Belgici, idque cum sexaginta aliis sodalibus. — — Illud etiam scias velim me nuper

aegrotum domi reducem, incertum vitae spatium reputantem valde illa cogitatione percussum esse, quod Cleobulinae mihi aliquando superfuturae fortunis amplius quam adhuc poterat fieri consulere deberem, ei prospiciendo viduarium salarium professorium, neque hanc *εὐπορίαν* abjiciendo. At illud fieri non poterat, nisi si eam uxorem ducerem: neque hoc nisi veniâ a Rege acceptâ, quam petivimus necdum impetravimus. Res ipsa etiam in animo meo scrupulos offendit, propter aetatem et tempora: quos caritate confutavi." Veniam illam petitam mox impetravit, opera Falckii, pristini in Athenaeo Amstelodamensi discipuli, tunc temporis Regi a secretis, cujus in ea re interventum rogaverat, ut est infra p. 239.

P. 237. »*Ex literis tuis — conservemus.*"] Ex Ruhnkenii ad Wyttenbachium ep. m. Dec. 1785, p. 48. Quae sequuntur, »*De uxoris ducendae consilio cet.*" sunt ex ep. m. Mart. 1786, ibid. p. 51.

P. 239. *Simul etiam se convertebat ad Virum Excellentissimum A. R. Falckium, cet.*] Has ad Falckium Wyttenbachii literas, d. 10 Nov. 1816 datas, nondum antea editas, in lucem protulit Mahnius in Supplem. Epp. Ruhnk. et Wyttenb. p. 78 sq.

Ibid. *Mox enim — voti sui Wyttenbachius senex compos factus, die 17 Februarii 1817, inito matrimonio, illud officium explevit, quod ipsi tunc maxime cordi erat, suâque paternâ erga neptim curâ effecit, ut nomen Wyttenbachiae hodieque inter doctarum mulierum nomina unum e primariis locis obtineat.*] De Wyttenbachii nepti *Joanna Gallien*, defunctae dudum sororis superstite filia, quae postquam per viginti annos res familiares ac domesticas ejus administraverat, inde ab anno 1817 uxoris ei loco ac nomine usque ad mortem ejus per tres annos fuit, eique per decem annos supervixit, videantur Creuzeri ad Wyttenbachium epistola, Plotini de Pulcritudine libro praemissa, p. XXXVI sq.; ipse Wyttenb. Philom. L. III, p. 287; C. F. Hermann in Programmate academico Marburgensi, de quo supra diximus p. 94; et Fred. Creuzer in Vita sua Germanice scripta, loco modo laudato p. 85—90. Literatissimae huic feminae, compluribus opusculis perquam eleganter Gallice scriptis

cognitae, occasione tertii Jubilaei secularis Marburgensis Academiae, a Philosophiae Facultate Doctoratum honoris causa oblatum esse, notum est: vid. *Algem. Konst- en Letterb.* 1827, N°. 35. Obiit a. 1830, d. 27 Aprilis, eodem cum marito tumulo condita. Defunctae exsequiis ceterisque rebus curandis praefuit, administratoris nomine, Vir Cl. P. Hofman Peerlkamp, Histor. et Liter. Lat. in Academia Leidensi Professor. Commentariolus de vita sua maritique, quem manu sua Gallico sermone consignatum reliquerat, una cum aliis eo pertinentibus epistolis ac schedulis, hujus beneficio diu postea pervenit ad Virum consult. Jo. Tib. Bodel Nyenhuis, quo mortuo publice venum datus est hoc ipso anno cum tertia Bibliothecae ipsius parte, Catal. N°. 3010.

P. 242. *Annotationis in Eunapium, cet. — die* 25 Februarii 1816.] Corrige 1819. Eunapium edidit J. F. Boissonadius, Amstelod. 1822, quem vide Praefat. p. I sq. Wyttenbachii Annotatio exstat T. II. Paucas annotationes tunc nondum editas prodidit Mahnius in Supplem. Epist. Ruhnkenii et Wyttenbachii, p. 84—89.

P. 246. *Societatis Regiae Gottingensis.*] Vid. C. G. Heynii ad Wyttenb. sodalem cooptatum a. 1811 ep., Philom. L. III. p. 174 sq.

P. 249. *Sepultus — est in horto suo prope introitum, fere sub fenestram coenaculi, cet.*] Quod mox subjicit Mahnius: »ut conjux, quemadmodum sibi proposuit, etiam propediem cippum imponi curet, etiam atque etiam opto" in annot. addidit: »Scripsit mihi nuperrime honestissima vidua, id jamjam actum iri."

Cippus autem ille, sub auspiciis Virorum expertissimorum D. P. G. Humbert de Superville et C. J. C. Reuvens tumulo impositus, constat columna lapidea, cui simpliciter inscriptum legitur:

DANIEL
WYTTENBACH
CIVIS
BERNAS.

Perperam in Lexico Geographico doctissimi A. J. van der Aa (*Aardrijkskundig Woordenb. der Nederlanden, enz.* in voce *Oegstgeest - en - Poelgeest*) Vol. VIII. p. 359, excusum est BERNENSIS, subjecta falsa anni nota MDCCXX. Horti Wyttenbachiani delineationem,

in qua tamen cippi sepulcralis conspectus desideratur, fecit W. van Groenewoud, lithographiae arte excudendam curavit L. Springer Leidensis. Domus ipsa postea solo aequata est.

Corollarii loco subjicimus breve epistolium in usum Voorstii collegae a Wyttenbachio scripto consignatum, et Graecam illam, quam supra p. 95 diximus, epistolam ad Lyndenum; utraque ex autogr. descripta. Tertia denique ad J. Ten Brink, quamquam edita, ad supplendas ceteras repetenda videbatur.

CLARISSIMO VIRO CUVIER
Secretario Inst. Nat.
J. v. V. Secretarius Ac. L. B.
S.

Reddita est nobis epistola Vestra; qua lecta magnopere laetati sumus quod ejus argumentum cum nostris studiis conjunctum agnosceremus. Igitur quod a nobis petiistis lubenter fecimus: ut illud argumentum programmate vestro enarratum ad publicam, quoad ejus maxime fieri poterat, notitiam divulgaremus: idque eo lubentius fecimus, quo magis consilium illud quod ad communem utilitatem pertinet, item ad communem omnium cognitionem celebrandum est. Et vero Academiae nostrae Rector et Senatus id non modo faciendum, sed factum etiam Vobis significandum rescribendumque censuerunt; ut intelligeretis nos tantam habuisse rationem quantam maximam et humanitas et communis nobis Vobiscum disciplinarum amor postulat. Pergite porro Cl. VV. operam industriamque Vestram ad ingeniorum doctrinarumque incrementa conferre: nobisque, ut facitis, favete.

Scripsi Lugduni B. d. 15 maii MDCCC.

Βυτ]ενβάχιος Λυνδήνῳ εὖ πράτ]ειν.

Οἶδα μὲν ὅτι θαυμάσεις, ὦ βέλτιστε Λυνδήνε, τί δὴ παθὼν ἐγὼ ἑλληνιστί σοι ἐπιστέλλω· οὐ μὴν ἀλλὰ παύσῃ θαυμάζων ἀκούσας τὴν αἰτίαν τοῦ πράγματος. Ἐγὼ γὰρ ἄρτι ἐπιστείλας ἑλληνίζων πρὸς Λαρχῆρον τὸν ἐν Λευτηκίᾳ τῆς Γαλλίας, ὑπε-

φερόμην ἠρέμα πως εἰς εὔῤῥοιάν τινα Ἑλληνικῆς λέξεως, ἥ μοι νῦν ἔτι παραμένει· ὥστε δεξάμενος τὴν ἐπιστολήν σου, καὶ περί σου διανοούμενος, ἐδόκουν μοι ἑλληνιστὶ ὥσπερ παρὼν παρόντι διαλέγεσθαι· καὶ δὴ περινοστῶ σοι κάτοχος ὑπὸ τῆς Ἑλληνικῆς συγγραφῆς ὥσπερ ὑπὸ Μουσῶν. Καὶ μὴν ἔγωγε ἥκιστ' ἂν τλαίην ἑλληνίζειν πρὸς πάνθ' ὁντινοῦν τῶν φασκόντων ἐμπείρων εἶναι Ἑλληνικῆς γλώσσης καὶ παιδείας· ὧν δὴ οἱ πλεῖστοι πλήρεις μέν εἰσι τύφου καὶ δοκησισοφίας, νοῦ δὲ καὶ φρενῶν κενοί· ἀλλὰ πρὸς σὲ γοῦν, ὦ φίλη κεφαλή, καὶ πρέπει μοι καὶ προσήκει ἑλληνιστὶ γράφειν, καὶ προβάλλειν σοι τοῦτο τὸ ἐπιστόλιον ὥσπερ πρόβλημά τι καὶ ὑπόθεσιν τῆς πρὸς τὸ ἑρμηνεύειν γυμνασίας καὶ μελέτης, ἅτε δὴ τῶν ἐμῶν γνωρίμων ἐν τοῖς μάλιστα τῆς Ἑλληνικῆς λέξεως καὶ ἀρχαιολογίας ἐπηβόλῳ τε καὶ ἐπιστήμονι. Καὶ τοῦτο μὲν οὖν λέγω πρός σε ἐπαινῶν ἄξιόν γ' ὄντα ἐπαίνου· οὐκ ἐπαίρειν σε θέλων πρὸς μεγαλαυχίαν καὶ κενότητα· ὃ δὴ μάλιστα ἀλλότριόν ἐστι τῆς τε πρὸς ἀλλήλους φιλίας καὶ τοῦ τρόπου τοῦ ἐμοῦ· ὃς ἀεί πως τὸ αὐστηρὸν καὶ σωτήριον τῆς ἀληθείας διώκω, τὸ δὲ ἡδὺ καὶ βλαβερὸν τῆς ἀρεσκείας ἀποτρέπομαι· καὶ τοὺς ἐμοὶ ὁμιλοῦντας ἀπὸ τῆς φιλαυτίας πρὸς τὸ Γνῶθι Σαυτόν μετάγειν ἐπιχειρῶ.

Ἔστι δὴ πάντως θεσπέσιον τὸ ἀπόφθεγμα τουτὶ τὸ Γνῶθι Σαυτόν, καὶ σωτήριον νέου ψυχῆς μεγαλοφυοῦς, ἀλεξιφάρμακόν τε τύφου καὶ κενοδοξίας, ἃ δὴ τὰς ἐπιεικεστάτας τῶν νέων φύσεις διαφθείρειν φιλεῖ· ἐμοὶ γοῦν ἀεὶ πρόχειρόν ἐστι ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ καὶ γράμματι· καὶ ἔναγχος δὴ αὐτὸ παρεθέμην ἐν τῇ πρὸς Εὔσδιον τὸν ἡμέτερον ἐπιστολῇ τῇ ἐκδοθείσῃ σὺν τῷ ἐκείνου βιβλιδίῳ οὗ τὴν ἐπιγραφὴν ἄν τις ἑλληνίζων μεταφράσειε Δεῖγμα κριτικὸν περὶ Πλάτωνος· αὐτόθι καὶ σοῦ ἐμεμνήμην, ὦ φίλτατε, καὶ δὴ καὶ Σλυιτήρου καὶ αὐτοῦ τοῦ Εὐσδίου. τοῦ μὲν οὖν Σλυιτήρου ὡς ἤδη προαχθέντος εἰς τὸν ῥητορικὸν θρόνον τῆς ἐν Δαβεντρίᾳ διδασκαλίας·

Εὐσδίου δὲ ὡς διὰ ταχέων ἡμείας τιμῆς ἐπτεσξαμένου· σὺ δ' ὡς οὐδέν τι τοιοῦτον ζητοῦντος, ἀλλ' ἀρετήν τε καὶ παιδείαν ὡς αὐτάρκη εὐδαιμονίας θεμέλια ὑποβεβλημένου, καὶ ὥσπερεὶ, ἵνα δή τι καὶ Πωδαρικόν σοι τοιοσταιζῃ, μέλλοντι θεμιστεῖον ὡς ἀμφέπειν σκαπτὸν ἐν πολυμάλῳ Φρυσαιᾳ, δρέπων μὲν κορυφὰς ἀρετῶν ἀπὸ πασῶν, ἀγλαιζόμενος δὲ καὶ μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ." Ἀλλὰ Εὐσδίου μὲν ἐν λαμπρᾷ ἐλπίδι γενόμενον ὡς καταστησόμενον ἐν τῷ ἑλληνιστικῷ δρόμῳ τῆς Ἐπισκόπου πόλεως Βατάβων [τοῦτο γὰρ μετονομασθήτω ἡμῖν τὸ Τραϊεκτὸν] ἕως νῦν ἔτι καταλειπόντα διατριβὰς εἰ τῆς διοικήσεως διοικηταί. Σὺ τοίνυν, ὦ βέλτιστε, μέγα δυνάμενος παρὰ πολλοῖς τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν τῆς συγγενείας σου, καὶ αὐτοῖς μέγα δυναμένοις ἐν τῇ Ἐπισκόπου πολιτικῇ διοικήσει, προσλιπάρει καὶ ἐντύγχανε αὐτοῖς παντὶ τρόπῳ καὶ λόγῳ διδάσκων καὶ πείθων καταστῆσαι διαδόχους Σαξίου μὲν Μάνιν τὸν Ἀμεσφορτέα διδάσκαλον, Σηγαρίου δὲ Εὔσδιον τὸν ἡμέτερον. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ.

Ἀλλ' οὐκ οἶδ' ὅπως μεταξὺ γράφοντά με ταράττει ἡ τῶν ἰδίων ὀνομάτων δυσχέρεια· καὶ πάλαι οὐ μόνον ἐν τῷ ἑλληνίζειν καθαρῶς, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ῥωμαΐζειν, ἐνεπεδίσθην καὶ ἀπεσφάλην τῆς ἐπιβολῆς διὰ τὸν κακοδαίμονα τουτονὶ βαρβαρισμόν. Καὶ τὸ μὲν ἐμὸν ὄνομα τί δεῖ λέγειν, οὗ βαρβαρικώτερον οὐδὲ ἡ πᾶσα Σκυθία ἤνεγκε; ἀλλὰ καὶ τὰ ὑμέτερα ἐπιεικῶς βαρβαρισμοῦ μετέχει. Καὶ οὐ τοῦτό πω δεινὸν, κἄιπερ ὂν δεινόν· ἀλλ' οὐδὲ μεταβάλλειν αὐτὰ ἔξεστι πρὸς τὸ ἀνθρωπινώτερον καὶ εὐπρεπέστερον. Ἐγὼ γοῦν ἐβουλόμην ἂν ἐσχηκέναι μάλιστα μὲν πατρῷον ὄνομα ἀρχαιοπρεπὲς καὶ Ἑλληνικῆς χάριτος κοινωνοῦν· εἰ δὲ μὴ, ἀλλ' ἔχον γ' εὐεπανόρθωτον τὸν βαρβαρισμόν· ὥς που συνέβη τῷ πρὸ ἡμῶν Περιζωνίῳ Φυγόντι τὴν βαρβαρικὴν κῆρα τῆς Ἑλληνικῆς εὐκοσμίας μεταλαβεῖν, καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο Περιζώνιον μετονομασθῆναι. Τί δὴ οὖν καὶ ἐμὲ κωλύει τῷ ἐμῷ ὀνόματι ὁμοίαν μεταμορ-

φώσεως μηχανὴν προσάγειν, καὶ μεταβάλλειν τὸν μὲν Δανιὴλ εἰς Θεόκριτον, τὸν δὲ Βυτῖενβάχιον εἰς Εὐρύῤῥοον· καὶ οὕτω δὴ ἀρτιγενῆ Θεόκριτον Εὐρύῤῥοον ἀναφανῆναι· καίτοι οὐδ' ὁ Εὐρύῤῥοος πάνυ τί με ἀρέσκει. Μάνιος μὲν οὖν μενέτω Μάνιος ὡς δὴ Ῥωμαῖος. Σλυιτῆρος δὲ μετακαλείσθω Κλείσιος. τῷ δὲ Λυνδήνῳ καὶ τῷ Εὐσδίῳ οὔπω φάρμακον εὑρήκαμεν.

Ἀλλὰ γὰρ πλείονά με γράφειν θέλοντα ἐπιλείπει ὁ χρόνος, ὥστε ἤδη τέλος ἐπιθεῖναι δεῖ τῇ ἐπιστολῇ· καὶ τὰ μὲν οὖν πλεῖστα τῶν γεγραμμένων παίζοντος μᾶλλον ἢν ἢ σπουδάζοντος. ὥστε τὰ σπουδαῖα εἰςαῦθις ἀποθώμεθα εἰς τὸν τῆς καθόδου χρόνον καὶ εἰς τὴν ἀπὸ στόματος ὁμιλίαν. Ἔῤῥωσο· καὶ ἄσπασαι παρ' ἐμοῦ τὸν ἄριστον ἀνδρῶν τὸν πατέρα σου, καὶ τὰ ἄλλα φίλτατα. Ἔγραψα ἐν τῷ κηπιδίῳ τῇ ϊζ μηνὸς Αὐγούςου· ἔτει ᾳ, ω, γ.

D. WYTTENBACHIUS JANO TENBRINKIO

V. D. S.

Literae tuae V. D. plusne mihi voluptatis an admirationis attulerint, non facile statuam. Nam et mirabar, eum ad me scribere, quem plerique ajebant eum esse, qui in libello, nescio quo, menstruo, nuper in me invectus esset. Et laetabar, istum falsum fuisse rumorem, quod et literae eum tuae, nisi disertis verbis, tamen humanitate tua, refutare videbantur: et quod sub ipsum earum mihi redditarum tempus forte apud me erat qui Kemperi nostri nomine mihi affirmaret, mendacem istam de te fabulam ferri. Itaque voluptas admirationem vicit; eoque tibi libentius respondi. Etenim, ut istorum libellorum, et omnino vulgi, *** nil movear, tamen acerbius ad generosum animum accidunt, si quando ab iis venient, de quibus non male se meritum putet.

Quod conjecturas mihi tuas in Musonii anecdota impertis, idem certatim fecerunt alii: cum Eldicius, in his Literis praecipuus, tum tres de meis, qui nunc sunt, discipulis, a quibus tuas, quas quidem probem, occupatas cognovi: caeterum facultatem

[illegible]

[illegible]

[illegible]

EPILOGUS.

Dum in excudendo hoc opusculo occupati erant typographi, nonnulla sese mihi obtulerunt, quae insuper commemoranda videbantur. Ea hic obiter subjicere operae pretium visum est.

Diplomata Hemsterhusiorum Academica, quibus in Memorabilibus suis conscribendis partim usus est Cl. De Crane, quaeque erant penes Virum consult. Bodel Nyenhuis, hoc ipso anno venum data sunt cum tertia eaque postrema hujus bibliothecae parte, Catal. N°. 2603, ubi ad nomen *Franc. Tib. Hemsterh.* perperam irrepserunt verba uncis inclusa (*le philosophe*); hic enim alius erat, minus cognitus et celeber, diversus a *Francisco* philosopho: vid. Cranius p. 99. Ibid. N°. 3001 aderat alterum Craniani opusculi exemplum, cum commercio epistolico et annott. mss. Ambo dicuntur in Frisiam, natalem patriam, abiisse.

Aristophanis Pluti, a Tib. Hemsterh. recogniti a. 1744, cujus mentio fit p. 3, editio nova, appendice aucta (curante G. H. Schaefero) prodiit Lipsiae, ex offic. Fleischeri, a. 1811. vid. Acta Societatis philologicae Lipsiensis, Vol. I. p. 437—440.

Quae in C. Burneji Epistolarum collectione Londin. 1808, a Friedemanno recusa, de qua diximus p. 7, exstant R. Bentleji duae de Polluce ad Tib. Hemsterhusium Epistolae, deficientibus autographis, ex Ruhnkenii ed. alt. a. 1789 repetitae videntur. Tertia, de Bentleji Horatio typis Wetstenianis Amstelodami recu-

dendo, ad eundem data a. 1712, quam Annot. nostrae p. 342 sq. in lucem protulimus, in illa collectione desideratur.

Quod p. 12 diximus de duobus libellis vulgaribus Hemsterhusio temere adscriptis, idem valet de *Chrestomathia*, quae dicitur, *Petronio-Burmanniana*, *cet.* suppresso auctoris nomine, *Florentiae*, ut fertur, a. 1734 edita; quam itidem falso Hemsterhusii ac Verburgii nomine circumferri probavit Ven. C. Sepp in opere vernaculo *de Jo. Stinstra ejusdemque aetate*, Vol. I. p. 145 sqq.

Ut Tib. Hemsterhusii tres Orationes, I. *de Linguae Graecae praestantia ex ingenio Graecorum et moribus probata*, II. *de Literarum humaniorum studiis ad mores emendandos virtutisque cultum conferendis*, III. *de Mathematum et Philosophiae studio cum Literis humanioribus conjungendo;* ita Dav. Ruhnkenii utramque, alteram de *Graecia artium et doctrinarum inventrice*, alteram *de Doctore umbratico* (post Aug. Matthiae in *Eloquentiae Latinae exemplis*, *cet.* Altenb. 1821) repetiit G. H. Saalfrank, Gymnasii Ratisbonensis Conrector, inter *Orationes Latinas XLVII, e doctissimorum eorumque eloquentissimorum virorum saeculo XVI. XVII. XVIII. XIX. florentium operibus selectas et Juventuti literarum studiosae propositas*, Ratisb. 1822, N°. XXII. XXIII. XXIV. Vol. I. p. 195—248, et N°. XLV et XLVI, Vol. II. p. 461 sqq. 481 sqq. subjecta brevi de utriusque viri vita et latinitate annot. p. 540 sqq. 551 sqq.

De *Vita Ruhnkenii*, auctore Wyttenbachio, quod scripsimus p. 14, praeter alias Ephemerides patrias, copiose et honorifice relatum vidimus in Nuncio Artium ac Liter. *(Algem. Konst- en Letterbode)* a. 1800, P. I. p. 163—168, nisi quod locus viri natalis *Stolpa* perperam vocatur *Strip*.

Amersfoordtii testimonium, quo usi sumus p. 15, postea vidimus jam allatum ab ipso Wyttenbachio Philom. L. III. p. 289.

Praeter Scriptores de Ruhnkenio, jamdudum allatos in Addend. et Emend. ad Ruhnkenii Opusc. T. II. p. 1014, utriusque viri, et Ruhnkenii et Wyttenbachii, vitam ac studia et de literis merita, id quod supra p. 16 et 92 annotare negleximus, brevi

narratione complexus est et de *Vita* cum *Ruhnkenii* a Wyttenbachio, tum *Wyttenbachii* a Mahnio conscripta, honorifice retulit Frid. Car. Kraft, ad *Epistolas Bentleji*, *Graevii*, *Ruhnkenii*, *Wyttenbachii selectas*, *annotatione* a se *instructas*, (Altonae 1831) pag. 251 sqq. ac 254 sqq. quo in libro tamen, qui Wyttenbachio p. 6 dicitur *Kniephofius*, Scholae Schlavensi praefectus, vocatur *Kniephusius*. Utrum rectius sit, non statuimus, et parum interest. Ceterum Kraftii annotationi ad Latinitatis et rerum intelligentiam fructuosissimae, praeter alia memoratu digna, inserta est p. 315 sqq. *Jo. Henr. Vossii* epistola, qua respondit Ruhnkenii ad ipsum literis d. 28 Aug. 1780 datis, Epp. ad Div. p. 158.

De *Wesselingii* scholis historicis, praeter allata p. 32, legatur insuper Cl. Bootii nuper edita *de vita et scriptis* hujus viri Commentatio p. 60 sq.

Ruhnkenii dictum Rinkio in aurem susurratum, quod p. 53 memoratur, illustrandum et supplendum est ex notissimo versiculo vulgari:

Quando conveniunt Maria, Camilla, Sibylla,
Sermones faciunt et ab hoc, et ab hac et ab illa.

Indicavit mihi amicissimus Suringar.

Pag. 103, de Lyndeni Disp. *de Panaetio* laudanda fuerat Wyttenbachii Relatio brevior, Biblioth. Crit. P. XI. p. 53—63, a Mahnio non annotata. Doctoris in utroque Jure gradum *more majorum* consecutus est Specimine inaug. de *Jurisprudentia Tulliana in Topicis exposita*, a. d. XVII Octobr. 1805.

Levioris momenti operarum erroribus, si qui forte deprehendantur, ignoscat, quaesumus, benevolus Lector. Notamus tantummodo, pag. 17, v. 11, pro 1843 substituendum esse 1743. Pag. 55, v. ult. pro *et* legendum *ut*. Denique p. 77, v. 29, ubi excidit infelici casu litera *a*, pro *fferretur* corrigendum *afferretur*.

In Ruhnkenii Opusculis ex ed. alt. a. 1823, praeter ea, quae T. II. p. 1013sqq. in Addendis et Emendandis jam notata sunt, insuper corrigenda supersunt

In Praefatione.

Pag. VIII v. 9. abjucandas *legendum* abjudicandas
» X v. 20. rare — rari.
» X v. 24. p. 866. cf. p. 865 — p. 806. cf. p. 805.
» XVI v. penult. p. 65 — p. 64.
» XXV v. penult. cui — qui
» XL v. 24. P. XI. — — P. IX.
» XLV v. ult. eum — eam.
» LII v. 14. in se *delendum.*

In Contextu.

» 269 v. 16. parantas *legendum* parantes.
» 762 v. 1. Athol. — Anthol.
» 864 v. 22. isto — Ieto (Jurisconsulto)

In Indicibus.

» 931 v. 15. 461 *legendum* 491.
» 948 v. 25. 270 — 279
» 951 v. 10. 854 — 845.
» 953 v. 19. Originis — Origenis.
» 955 v. ult. Marzochius — Mazochius.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRAECIPUARUM.

A.

Academiae Lugduno-Batavae in Ruhnkenio jactura, 16 sq.
Acker (Vop. Hor.) Elegia ad Leidam, 65 sq. Ruhnkenii de eo testimonium, 88.
ἀδολέσχαι Comicis dicti philosophi, 83.
ἀδολεσχεῖν, *disputare de rebus naturalibus*, 84.
ἄγκυρα translata signif. 81.
Alberti (Jo.) Vita et Epp. 26. Convalescens, 74. 75.
Amersfoordt (Jac.) de Wyttenbachio judicium, 15. 116.
Anecdota Hemsterhusiana, 4.
Anthologia Gr. cum notis Salmasii, 25 sq. Lat. 81.
Apollodorus, comicus, 76.
Apsinis Rhetorica, 37 sq.
Aristophanes, 80. Versus e Tagenistis, 84.

B.

Bachius (J. A.) Jctus Lips. 74.
Bailey (Jac.) Hermesianactis editor, 45.
Bake (J.) de Apsine et Longino judicium, 37 sq.
Baumhauer (G. T.) 105.
Bax (Casp.) 105.
Beck (C. D.) de Wyttenbachii Vita Ruhnkenii retulit, 14. de lite ejus cum Hemerto, 104.
Bentleji (Rich.) ad Tib. Hemsterhusium Epistolae, 7.
Boissonade (J. F.) epistolium, 31.
Boreel (Anna Maria) uxor Franc. Fagel, 88 sq.
Bosch (Hieron. de) Carmen de Aequalitate Hominum, 92.
Bosch (P. van den) Ruhnkenii Elogium Hemsterh. in patrium sermonem convertit, 1.
Bougainville (De) Academiae reg. Inscript. actuarius, 27. Ejus ad Ruhnkenium Ep. 28.
Brand (J. A.) 105.
Brink (B. et J. ten) 94. 113.
Brunckii Apollonius Rhodius, 25.
Burgess (Tho.) 98.
Burman (P.) Sec. et Jo. Schrader Ruhnkenio Oudendorpii cathedram invident, 62.

C.

Callimachi loci tract., 68 sqq. 79.
Camerarii (Joach.) Opera a Ruhnkenio collecta, 49 sq.
Cannegieter (H.) Programma de G. Koenio, 26.
Capperonier (J.) 29. 72 sq.

Carmina Marcios Hemsterhusii sacrata, 2 sq.
Cicero, 82. 84 sq. Epp. et Orat. sparsae, 56. Synonyma, 56.
Clemens Alexandr. 82.
Conradus A. J. 3.
Coppello J. Kappeyne van de 1.5.
Cordon, doctus Jctus, 98.
Crane (J. W. de) de Gente Hemsterhusia libri, 2. 115.
Cras H. C.) Epp. ad Wyttenbachium, 14. 102.
Creuzer (Fr.) T. Hemsterhusii notas in Iamblichi Protrept. edit. 4. de Wyttenbachio narrant, 92. ad Wyttenb. Ep. 107. Epus in Acad. Leid. vocatus, adventus et reditus Heidelbergam, 1.5.

D.

Dieckens (Nic.) Ruhnkenii advocatus, 74.
Drabbe (J. C.) Ruhnkenii et Valcken. Epp. edit. 19.
Dupuy observ. de Hymno in Cererem, 43.
Dysaulus et Triptolemus frumenti serendi inventores, 85.

E.

Emendanda in Elogii Hemsterh. et Vitae Ruhnken. ad a. 1784. 90 sq. in Vita Wyttenbachii, 114.
Epigrammata Gr. ined. 85 sq.
Epigrammata in Ruhnkenii nuptias, 63.
Ernesti A. Germaniae Vallius 74.
Etymologicum Magn. 76. 79. 83. Regium ms. 80.
ἐνηφρος et ἀνάφρος permut. 83.
Euripidis versus, 83 sq.
Euripidis Bacchae, 8.

F.

Foulis Rob. et Andr. typographi Glasguenses, Eutropium edere instituunt, 47.
Friedemann Fr. Th. edidit T. Hemsterhusii Orat. et Epp. 5. Ruhnkenii Opuscula, 19. Wyttenbachii Vitam et Opuscula, 91. eiusdemque Epp. 94.
Friedrich C. H. edidit Elegiam T. Hemsterhusii, 1. 4. Wyttenbachii Vitam Ruhnkenii, 13 sq. Museum edere instituit, 49.

G.

Gallien Joanni Wyttenbachii epus et exor. 1.8 sq.
Gally Henr. doctus Anglus, 72 sq.
Geel Jac. Anecdota Hemsterhusiana edit. 4.
Gesner J. M. Epus his cum Jc. Funccio, 31.
Glossarium regium Paris. 72 sq.
Goens E. M. van Epistolae de Th. Hemsterhusio, Jac. de Rhienn. 37.
Goer Steenbergen van, 59.
Grammaticae ad dives Academiae Lugd. Bat. 16. 56.
Grotii Hug. Jurisprudentia, 61.
Grotiorum libri Bibliothecae Lugd. Bat. vindicati, 48.

H.

Halbertsma J. H. Th. Hemsterhusii lectionem publ. edidit, 1.
Hama Henr. 48.
Hami F. G. de Th. Hemsterhusio Germanice scripsit, 4.
Harmenopulus, 68.
Heim J. A. van Jac. 105 sq.
Heineccii J. G. Opera min. ad Hist. Jurisp. Rom. et Germ. 15.
Heinsius Dan. Ruhnkenii socer, 60 sq.
Hemert Pauli van his cum Wyttenbachio, 104.
Hemsterhusii Th.) vita et res privatae, 1. dies natalis, 6. Opera, orat. epp. 3. 8. Opera postuma, 4 sq. inedita, 5. perperam inscripta, 12. Musa et Hermann, 55. Amstelodami Lectis Orientis docet, 6 sq. Bentleyi vesperi desiderium, 7. cum A. Schultensio amicitia, 8 sq. Humanitas, 10. animi magnitudo, 11. cum viris principibus familiaritas, 11. Ex Amstelodami Ulata injuria, 44. de Xenophontis Agesilao sententia.

Hemsterhusius (Franc.) 54.
Heringa (Jod.) El. f. Ep. ad Wyttenbachium, 101 sq.
Hermann (C. F.) Wyttenbachii Epp. edit, 94.
Hermesianactis elegia, 45.
Hesychii glossae, 69 sqq.
Heusde (Ph. G. van) de Wyttenbachio Ep. ad Creuzerum, 92. 101. Spec. crit. in Platonem, 103.
Hierapytna Cretae urbs. 75.
Hignard (H.) de Hymnis Homericis liber Gallicus, 44.
Himerius G. Wernsdorfii, 47.
Hole (Rich.) Hymni in Cererem versio Anglica, 43.
Homeri Hymnus in Cererem, ed. Ruhnkenio, 42 sq. 85.
Hottinger (Jo. Jac.) 20. Ejus spec. observationum in Vellejum Paterc. 42.
Huschke (J. G.) invito Ruhnkenio, in Acad. Lugd. Bat. vocatus, 56.
Hymnus in Cererem, vid. Homerus.

I.

Inscriptio Graeca a Barthelemio edita Ruhnkenii sententiam confirmat, 40.
Inscriptiones Ruhnkenii sepulcrales, 88 sq.

J.

Jamblichus. In ejus Protrept. Tib. Hemsterhusii annott. 4.
Jungii (J. H.) ad Ruhnken. Ep. 34.
Justini Hist. Philipp. a Ruhnkenio emend. 18.

K.

Kaldenbach (A. L.) Carmina, 92.
Kant (Imm.) Ruhnkenii condiscipulus, 23.
Kappeyne v. d. Copp., vid. Coppello.
Karsseboom (H. M.) Ruhnkenii discipulus, 58 sq.
Klotz (C. A.) Elogium Tib. Hemsterhusii, 2. Ejus indoles, 40.
Koch (G. A.) Timaeum Ruhnkenii denuo edit, 46. Mureti Varias Lect. ed. 49.
Kocherus, 75.
Koen (G.) 77.
Kuffner (C.) Artemidorus, 39.
Koppiers (P. H.) 4.
κόρα triplici signif. 86.
Kraft (F. C.) Epp. coll. 116.

L.

Leisnerus ad L. Bos Antiq. Gr. notatur, 80.
Lelyveld (P. van) 105.
Lennep (D. J. van) de Wyttenbachio prodita, 92.
Lennep (J. D. van) in Numismatis et Phalaride occupatus, 74, 76.
Liettard (Petr.) Ruhnkenii de eo testimonium, 88.
Longini fragmentum apud Apsinem a Ruhnkenio repertum, 37sq
Luzac (Jo.) Valckenarii successor, 48.
Lynden (F. G. van) de Panaetio Disp., 103. de Jurispr. Tull. 117.

M.

Mahne (G. L.) Ruhnkenii Epp. edit. 19. Vitam Wyttenbachii, ejusdemque Epp. 90 sq. Epp. Sodalium Socrat. Philomathiae, et Critonem, 104.
Markland Ciceroni Epp. et Oratt. eripit. 56. 77.
Marmora Laconica Fourmontii a Ruhnkenio edenda, 30 sq.
Marron (P. H.) Ruhnkenii discipulus, 87. retulit de Wyttenbachii Vita Ruhnkenii, 14. de Ruhnkenii matrimonio, 35 sq. de ejus obitu, 16.
Matthaei (C. F.) ad Ruhnkenium Epp. 11. 40 sq.
Matthiae (Aug.) Grammatica Graeca, 92.
Medenbach Wakker, vid. Wakker.
Meerheim (Fr. Godofr.) ad Ruhnkenium Ep. 64.
Meerman (Ger.) 23. 70.
Meerman (Jo.) 23.
Mehler (E.) Ruhnkenii in Justinum emendationes edit, 18.
Μέτεῤῥα aeolice pro μέτρια, 76.
Montfaucon in codd. Gr. describendis negligentior, 73. 75.

Morgenstern (Car.) Programma Scholast. Dorpatense, 19. 24. Miscellanea Dorpat. 94.
Müller (Luc.) judicium de Elogio Tib. Hemsterhusii, 2. de Wyttenbachii Vita Ruhnkenii, 15 sq. de Ruhnkenii Dissert. de Antiphonte, 39. de Lyndeni Disp. de Panaetio, 103.
Mureti (M. A.) post Ruhnkenium editores, 49.
Musgravius Euripidem commentatur, 85.

N.

Naeke (A. G. F.) de Ruhnkenii studiis Callimacheis judicium, 25.
Nagel (C. F.) Dammii Compend. mythol. Latine vertit, 58.
Nicias orator, an Lysias, 82.
Nieuwland (P.) 96. 98.

O.

Ochsner (Jo. Jac.) Ep. ad Luchtmansios, 20 sq. 95.
Omnia facere, 81.
Orbilius Amstelaedamensis (D'Orvillius) 74. 76.
Ovidius, 81. In ejus Heroides Ruhnkenii Dictata, 33.

P.

Pan (J.) Jctus literatus, 15.
Pausanias emend. 79.
Pestel (F. G.) Ep. ad Wyttenbachium, 99 sq.
Petronius, 81.
Philellenis Ep. crit. in Wyttenb. 96.
Phrynichus. Ruhnkenii ad Phryn. edendum apparatus, 48 sq. 74.
Pierson (Jo.) mors, 77.
Plutarchus de sera Numinis vindicta, ed. Wyttenbachio, 96.
Polyïdes Euripidis drama, 80.
Pons (Z.) Hermesianactis editor, 45.
πρεσγευτάς, *legatus*, 75 sq.
πρεσγηΐα id. q. πρεσβεῖα, 75.
πρέσγυς, i. q. πρέσβυς, 75.
Proverb. ἀπὸ γραμμῆς, 83.
Procli Comm. ms. in Platon. 83.

R.

Raphelii (Georg.) Annotationes in Script. sacros Ruhnkenii cum conjunctim recusae, 24.
Reiskii (J. J.) de Ruhnkenio acerbius dicta, 60. ad Ruhnk. Ep., 61 sq.
Reitz (G. O.) Theophili editor, adjuvante Ruhnkenio, 26.
Retzer (Jos. a) Comm. de Vita Balbi Ruhnkenio dicat. 66.
Rharus errantem Cererem hospitio excepit, 85.
Rink (Fr. Th.) de Tib. Hemsterhusio et Dav. Ruhnkenio Germanice scripsit, 1. de Ruhnkenii vita quotidiana narratio, 50—54. de H. A. Schultensio liber Germanicus, 55.
Ritter (J. D.) Cathedram Juris Lugd. Bat. repudiat, 32.
Rochette (Chardon) de Ruhnkenii Timaeo et Scholiis Platonicis judicia, 46 sq.
Ruardi (Jo.) 3. auctore Ruhnkenio Synonyma Ciceron. editurus, 59.
Ruhnkenius (Dav.) De vita ejus scriptores, 16. 116. Ejus matrimonium, 35 sq. res domesticae, 36 sq. 54. vita quotidiana, 50 sq. Ei publice privatimque habiti honores, 64 sqq. Academiae Regiae Inscript. et eleg. Lit. correspondens, 27—31. Obitus dies 13 Maji 1798, 66 sq.
Ruhnkenii (Dav.) Scripta, 17. Opuscula in unum collecta, ibid. Anecdota post mortem edita, 18. 33. Epistol., 18—22. Ep. ad Capperonnerium, 29 sq. Imm. Kantium, 23. B. L. Raphelium, 24. Reiskium, 60 sq. Valckenarium, 72 sq. 77. 80. Wyttenbachium, 54, 96. Epistolae Criticae, 25. Studia juridica, 25 sq. 86. Dedicatio Thalelaei, 86 sq. Anecdota Parisiis reportata, 26. Scholae academicae sive Dictata, 32. de Antiphonte Dissert. 38 sq. Studia Platonica, 45. Elogium Tib. Hemsterhusii, 1. Rutilius Lupus, 38. Inventum Longinianum, 37 sq. in Longinum

emendd. 77 sq. Vellejus Paterc. 41 sq. Muretus, 49. Latine scribendi facultas, 56 sq. de Barthelemii Anacharside judicium, 59. Subsidia aliis praestita, 57 sq. Testimonia discipulis data, 87. Inscriptiones sepulcrales, 88 sq.
Rutilius Lupus, 81.

S.

Sallier (Cl.) Biblioth. Paris. praefectus, 72. Ejus in Phrynichum annott. 48.
Santen (L. van) Versio Lat. Hymni in Cererem, 43. Hermesianactis et Phanoclis, 45. Notae prosod. in Muretum, 49.
Scaliger (Jos.) opera varia a Ruhnkenio edenda, 50. Epistolae et Diatr. de Arte crit. 78.
Scheller (I. G.) Lexicon Lat. 55. a Ruhnkenio adjutus, 58.
Schiffert (Chr.), rector Scholae Stolpensis, Fridericiano Collegio praefectus, 23.
Schneider (J. G.) a Ruhnkenio adjutus, 58.
Scholia in Aristidem, 85. in Platonem, ed. Ruhnkenio, 46 sq.
Scholten (B. P. van Wesele) 98.
Schultens (H. A.) 55.
Slothouwer (B.) Eucharisticon ad Ruhnkenium, 66.
Smilis Aeginetes artifex, 79.
Socratis de Deo sententia, 84.
Sophoclis *Φαίακες*, 76.
Spaldingius (G. L.) vocatur in Academiam Lugd. Bat. 56.
Spalletti (Jos.) librum Ruhnkenio dicat, 65.
Staveren (A. v.) Nepotis editor, 37.
Steenbergen van Goor, vid. Goor.
Stephani (Henr.) Thesaurus Linguae Graecae cum annot. mss. T. Hemsterhusii Parisiis editus, 4.
Stoeber (El.) Argentoratensis, 74.
Stronck (C. W.) Observ. in Hymnum in Cerer. 43.
Subire vitiorum nomina, 85.
Suetonius, 81. Ruhnkenii in eum Dictata, 33.

T.

Taylor (Jo.) 69.
Terentius. Ruhnkenii in eum Dictata, 33.
Thalelaeus, Gr. Jctus, 25. 74 sq.
Themistius, 80.
Theocritus, 76. 82.
Theophilus, vid. Reitz.
Timaei Lexicon Platon. 46. 72. 76.
Tittman (J. A. H.) 94.
Tollius (Herm.) ad Ruhnkenium Epp. 19. Wyttenbachii Amstelodami collega, 31.
Toup (Jo.) Emendationes in Suidam, 78.
Transpositionis remedium, 82.
Triptolemns, vid. Dysaulus.
Tydeman (H. W.) Gallicam Wyttenbachii Ep. edit, 94.
Tydeman (M.) Ep. ad Wyttenbachium, 14. 23.

V.

Valckenaer (L. C.) Collectanea de Tib. Hemsterhusio, 2, 7, 8 sq. T. Hemsterhusii Orationes edidit, 5. Ejus cum Ruhnkenio consensus, 39. in Herodoto occupatus, 79. Ep. ad Jo. Jac. Hottingerum, 20. Epp. ad Ruhnkenium, 68 sq. 74 sq. 78 sq.
Vaucher (Leon.) de Longino liber Gallicus, 38.
Vellejus Paterculus Ruhnkenii, 41 sq.
Verheyk (H.) Antoninus Liber. 4.
Vigere translate, 82.
Virorum doctorum ad Ruhnkenium Epp. ineditae, 22.
Voorda (B.) Epist. ad Wyttenb. 99, 100.
Voss (J. H.) Hymni in Cerer. versio Lat. et editio, 42, 43.
Voorst (J. van) Ep. ad Cuvier, 110.

W.

Wagner (J. A.) Ruhnkenii observ. ad Alciphronem usus, 59.
Wakker (J. P. a Medenbach) Amoenitates Liter. 65.
Wal (J. de) Vita Jo. Alberti, 26.
Wassenarius Cattovicenus, 106.

Wassenbergh (Ev.) Elegia in obitum Tib. Hemsterhusii, 3. a Ruhnkenio adjutus, 58.
Water (J. G. te) Ep. ad Wyttenbachium, 103.
Wesseling (P.) Ejus Scholae historicae, 32.
Wilde (Jac. de) Hemsterhusii socer. 8.
Willet (Abr.) Wyttenb. discip. 105.
Wolf (F. A.) in Herodiano felicitas, 6. a Ruhnkenio domi suae exceptus, 21. Prolegomena Homerica Ruhnkenio inscribit, 55. 66. vocatur in Academiam Lugd. Bat. 56.
Wyttenbachiorum Gens, 95.
Wyttenbach (Dan.) Vita a Mahnio aliisque scripta, 91 sq. Ei honores publice oblati, 92 sq. 106. 109. Ejus Amstelodamo Leidam adventus, 100. Bibliothecae Lugd. Bat. praefectus, 101. Ejus obtrectatores invidi, 103. Lis cum P. v. Hemert, 104. Iter Heidelbergam, 106 sq. Matrimonium cum nepti, 108. Sepulcrum, 109 sq.
Wyttenbachii Opuscula, 93. Epistolae editae et ined. 93 sq. Ep. ad J. Ten Brink, 113. ad A. R. Falck. 108. ad Jo. Jac. Hottingerum, 20. Ep. Gr. ad Lyndenum, 110 sq. Ep. in usum collegae Voorstii, 110. Scholae de Logica et Metaphysica, 96. de Historia Philosophiae et Doctrinarum, 97. Biblioth. Critica, 79. Disputationes Stolpiana et Teylerianae, 98. Lectiones de Animorum immortalitate, ibid. Selecta Principum Historicorum, 98 sq. Or. de adolescentia Ruhnkenii, 101. Vita Dav. Ruhnkenii, 13 sq. 17. 101. Plutarchus, 96. 103. Platonis Phaedon, 103. Narratio de clade Leidensi d. 12 Januarii 1807, 104. Programma de hist. Lit. Gr. Graece tradenda, 105. Annot. in Eunapium, 109.

X.

Xenophon. Apologia et Agesilaus, 77. Memorab. Socr. 82 sq. 84.
Xenophon Ephesius ab Hemsterhusio restitutus, 5.

Z.

Ζῆν translata signif. 82.